

- i . 5 . 4 . 7 . 8 .

<sup>1-5 7-8</sup>  
fratri Vnolfgango plattner hereditario

Latoplogaus

Omnium rerum vicissitudo est,

C. e. 74


~~W. W.~~

II 2 c 43

2 N. 43.

W. W.





ANDREÆ <sup>6</sup>  
PATRICII  
NIDECICI, ARCHI-  
DIACONI VILNAE,

PARALLELA EC-  
clesiæ Catholicæ cum Hære-  
ticorum Synagogis.

S I V E

Causæ, quibus permoti plerique no-  
stris temporibus, sectas hæretico-  
rum deseruerunt, & ad Ec-  
clesiæ communionem  
redierunt.

COLONIAE.

Apud Maternum Cholinum.

M. D. LXXVI.

Cum gratia & Priuileg. Cæs. Maiestatis.

*Si minister a dani minister ar  
celonis vno ra si desso soler:  
in no capis ra dnis atq; p batus*

ANDREAE  
PATRICII  
MIDDECI ARCHIEP  
DIACONI VIKARI  
PARRAII  
EPISCOPUS CATHOLICAE ECCLESIAE  
VICARIUS  
SIVE

Causa, quibus per nos p[er]cipue no-  
stris temporibus, sedas p[er]cipue  
tam delictorum & ad e[os]  
clara communitate

COLONIAE  
Apud Martinum Golummum  
M. D. LXXVI  
Cum gratia & privilegio. Car. Altitatis.

*[Faint handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*



AMPLISS<sup>3</sup>  
S. R. E. CARDINALI, ET  
MAGNO POENITENTIA-  
RIO, STAN. HOSIO  
EPISCOPO VAR-  
MIENSI.

Andreas Patricius Nidecicus  
Archidiaconus Vilnæ  
S. P. D.

**N** Amdudum au-  
sculto, & cupi-  
ens tibi dicere  
quedã Pauca,  
reformido.

Libet enim, dum ad te primi-  
tias ferè istas mitto, mearum de  
religione lucubrationum, iisdẽ  
versibus affari te, Hosi Cardi-  
nalis

nalis amplissime, quibus affa-  
tur herum seruus ille, haud ma-  
gna in re, sed fidei plenus. Re e-  
nim vera iam dudum est, ut me  
abs te ad eas literas, quæ, ut sunt  
ita sanctæ appellantur, invita-  
ri, ceteris autem studijs, in quæ  
hactenus à prima statim adole-  
scentia aliquanto ardentius in-  
cubui, frustra arceri ex audio.  
Frustrà dico: quòd tantus huc-  
usq; amor extiterit nota illa &  
amœna humaniorum litera-  
rum spacia peragranda, & con-  
tra tantus metus ad hæc ve-  
stra, grauius in primis studia, &  
tristis cuiusdam seueritatis ple-  
nissima, commigrandi, in illis  
prefer-



## DEDICATORIA. 5

præsertim, quas ipse quoque non  
 ignoras, regia Cancellaria occu-  
 pationibus nostris, ut non dies,  
 nec menses, sed anni omnino cõ-  
 plures intercesserint, dum ad te  
 eiusmodi aliquid mittere refo-  
 mido, quale hoc demum tempo-  
 re mittendum esse existimaui:  
 quanquam non sine eadem ani-  
 mi mei trepidatione. Etenim,  
 si nescis, iam inde ex illo tempo-  
 re, quo mihi primum puero, in  
 illa, à strepitu urbis huius no-  
 stræ remota, D. Sebastiani & di-  
 culo, videndi tui copia est facta,  
 eam de te, ex sermone magistro-  
 rum meorum, Alb. Novicam-  
 piani, & Sim. Maricy, qui tunc  
 A 3 publicè,

publicè, cum magna eruditionis  
 & diligentia opinione, ad D. Io-  
 annis docebant, haustam opi-  
 nionem concepi, limatissimo tuo  
 iudicio, nihil, quod limatissimū  
 idem non esset, posse vlla ex par-  
 te satisfacere. Quæ quidem opi-  
 nio multo etiã magis aucta cum  
 ætate est, posteaquam de erudi-  
 tissimis ipsis scriptis tuis passim  
 in optimam partem vidi iudi-  
 cari, quibus tu quidem scriptis  
 ita Ecclesiam Dei ornas, id non  
 minus tuum, simulq; adeò no-  
 strum Polonicum nomen illu-  
 stres, ita magistros errorum cõ-  
 futas, ut quamplurimos quoti-  
 die ab ipsis sectatores abducas:  
 tanta

DEDICATORIA. 7

*tanta porrò suauitate lectores  
afficis, ut p̄pterea descriptores  
ip̄sos ac typographos librorum  
tuorum, certatim ad hoc opus  
decurrentes, iam dudum quasi  
inter se committas. Atq; earum  
sanè rerum cogitatio etsi ne  
nunc quidem animum mihi ad  
scribendum facere poterat, vi-  
cit tamen profectò pietas, ut,  
dum tibi obsequor, à leuioribus  
interea istis auspiciatus, tenta-  
rem quodāmodo, ecquid de in-  
ceps maius aliquid ferre possim,  
in ijs, ad quæ me tam amanter  
vocare videbare. Quantum  
profecerim, tuū iudicium esto,  
nobis enim, quod pace tua dictū*

*A 4 velim,*

velim Aegyptiae olla illa, quibus  
assueuimus, nondum ita ex ani-  
mo deleri potuerunt, ut omnem  
earum memoriam penitus ab-  
iecisse videamur. In quo sanè, si  
quid peccatur à nobis, ignosces  
quæso consuetudini nostræ, &  
tuorum etiam ipse consimilium  
olim temporum in memoriam  
redibis, cum ipse quoque in eas-  
dem res, quas fortasse in nobis  
iudicas hoc tempore reprehen-  
sione dignissimas, non minorem  
operam conferres, nec minus  
hoc nomine à plerisque bonis illis  
quidem viris, sed nimium, ut  
puto, suorum studiorum aman-  
tibus, reprehendere. Sin est, ut  
tu

DEDICATORIA. 9

tu in his Ægyptijs expoliandis  
 nihil omnino peccari existimes,  
 si modò inde aliqd ad Hebræos  
 nostros collocupletandos possit  
 peruenire, tum verò nos, bona  
 cum tua venia, spolia ipsa, si nō  
 opima, at non nulla tamen ma-  
 iore porrò cū animo, Ægyptijs  
 istis, iniustis videlicet dominis,  
 detrahemus, eaq; deinde, quā-  
 tū poterimus, ad qualemcum-  
 que partē nostrā, Ecclesia Dei,  
 verā atq; legitimā rerum ac gē-  
 tium omnium dominā, accessio-  
 nem adiungendam, per omnem  
 occasionem conferemus. Nunc  
 quidem quod ad te mitto, argu-  
 mentū est, ut opinor, primum,

A 5 ad

ad pertenuem nostram in eo ty-  
rocinij genere facultatem expe-  
riundā idoneum, deinde verò à  
rationibus etiam perturbatorū  
istorum temporū non abhorrēs,  
quibus equidē, ab hominib. ipsis  
non pessimis, notæ atq; insignia  
veræ Ecclesie anxie admodum  
quæri solent, ad fluctuātes eorū  
animos in certa aliqua et stabi-  
li religionis sede collocandos. Id  
quicquid est, sanè totum, ut vi-  
des, uno eo loco, qui cōtrariorū  
quasi inter se comparatione de-  
finitur, confectum à nobis & ab-  
solutum est: qui locus non solū  
partes alteras, alterarum colla-  
tione partium vehemētius illu-  
minat,

DEDICATORIA. II

minat, sed etiā, quod ipse quoq;  
magnus dicendi magister Ari-  
stoteles in suis præceptionib. ad-  
notavit, primus est omnium, q;  
cogitationibus nostris ad omniē  
rem propositam soleat obrepe-  
re: ex quo, ipsa quoq; Parallelo-  
rum inscriptio libro est attribu-  
ta. Rem si probaueris, equidem  
nihil est, quominus liber ipse in  
tuo potius, qui me ad ea studia  
semper incensum, pridem inflā-  
masti, quam in cuiusvis alteri  
nomine, possit publicè apparere.  
Benè vale. Cracoviae Kal. A-  
prilis. Anno Christi Dei no-  
stri M. D. LXXVI.

ANDR.

ANDR. PA=  
TRICII NIDECICI  
ARCHIDIACONI  
VILNAE.

*PARALLELA EC-  
clesiæ Catholicæ cum Hæreti-  
corum Synagogis.*

S I V E,

Causæ, quibus permoti plerique no-  
stris temporibus, sectas hæretico-  
rum deseruerunt, & ad Ec-  
clesiæ communionem  
redierunt.

**M**aximè optandum esset,  
vt in quam semel vocati  
sumus Iesu Christi Dei  
nostri fidē & religionē, ea  
sicuti omnibus omnium  
gentiū superstitionibus, & omnibus  
omniū hæreticorū impijs fraudibus  
longè antecellit, ita semel à nobis su-  
scepta, constanter possit ad extremū  
retine-



ECCLĒ. CATHOLICAE. 13

retineri. Castitas enim religionis, quę  
est cultus quidam Dei incorruptus,  
nec vlllo nãuo inquinatus, nõ solùm  
in veritate religionis sita est, sed etiã  
in perpetuitate atque constantia ipsi-  
us veritatis. Neque enim satis castum  
est, quod modò purum est, modò  
maculosum, sed illud demum verè  
hoc nomine dignum est, quod nul-  
la est vnquam commutatæ veritatis  
nota vitiatum. Atque ea quidem ve-  
ritas quoniam nec in consilio im-  
piorum proponitur, nec in via scele-  
storum ac seditiosorum hominum  
inuenitur, nec verò vlla ratione in ca-  
thedra illa contagiosa doctrinæ, vt  
David appellat, pestilentis conspi-  
citur, sed tota propria est, non magis  
vsu quàm possessione, Ecclesiæ Ca-  
tholicæ sponsæ CHRISTI, quam  
solam Deus esse in his terris voluit  
columnam & sedem, ac stabilimen-  
tum inter homines, eius quam quæ-  
rimus, veritatis, idcirco, vt diximus,  
optandum sanè esset, ita nos com-  
plexu matris huius, vnus, sanctæ,  
catholicæ, & apostolicæ Ecclesiæ con-  
tineri,

tineri , in cuius solius gremio fideli  
 ac benigno omnia Deus deposuit,  
 quæ filijs suis appromisit, vt ne ad alias  
 vnquam nouercas conuolemus, cas-  
 sas primùm & inanes omnis felicitatis,  
 deinde inuisas Deo, & CHRISTO  
 sponso, postremoque adeò &  
 vitæ nostræ ac naturæ inimicas, & sa-  
 luti . Verùm quando ea est per-  
 turbatio infeliciū istorum tempo-  
 rum, in quæ incidimus, vt filiorum  
 desertorum magna vbique sit copia,  
 præclarè sanè cum ijs agi videtur,  
 qui cognita discessione & aberratione  
 sua à matre Ecclesia, regredi  
 malunt, quàm progredi in hoc tã pe-  
 riculoso cursu. Etsi enim primam  
 illam laudem tenere non potuerunt  
 illibatæ religionis, propter multas vel  
 hostium infidias, vel opinionum per-  
 uersitates, vel deniq; temporum ipso-  
 rum corruptelas, quibus adeò res redit,  
 vt ipsi etiã illi perfecti homines, quo-  
 rum hæc hacten⁹ nulla in religione notata  
 est varietas, de constantiæ suæ gradu  
 deiici ferè videantur: in secundis tamē  
 constiterunt, & errorem quidem ac  
 lapsum

ECCLĒ. CATHOLICAE. 15

lāpsū suū principio per Dei gratiā  
agnouerunt, mox etiā repudiauerūt,  
postremò deniq;, id quod caput est, ad  
Ecclesiæ veritatē reuocarunt. Quorū  
quidem ipsorum hominum quanta  
semper, iam inde à primis tempori-  
bus, fuerit in Ecclesia Dei dignitas, sa-  
tis id, tum in Simone illo Bariona,  
tū in Saulo denique Tharsensi ipso,  
duobus religionis nostræ capitibus,  
declaratum est, quorum hic, ex inimi-  
co, atque hoste Christi, quem se esse  
non solūm palām, sed etiam libenter  
profitebatur, electus à Deo ac desi-  
gnatus est, vas & receptaculum, de-  
portando apud barbaras & profanas  
gentes Iesu Christi nomini destina-  
tum: ille autem hoc etiam amplius  
est consecutus, quòd ter abnegato  
eo, quem semel constantissimè con-  
fessus fuerat, Christo ipso Deo ac Do-  
mino & magistro suo, princeps nihi-  
lominus postea Apostolorum est  
ab eo relictus ac constitutus, & petra  
cuiusmodi, super quam ædificaretur  
Respub. & Ecclesia Christiana. Qui-  
bus sanè duobus addamus etiam li-  
cet

cet Aurelium illum Augustinū, qui  
 ex inexplicabilibus Manicheorū la-  
 queis, quibus implicatus erat, semel  
 eluctatus, grauiſſimus poſtea Eccleſiæ  
 ſanctę patron⁹ & defenſor, heretico-  
 rum autem aduerſarius, & quaſi mal-  
 leus ad tundendos eos, diuinitus eſt fa-  
 ctus. Ita ſanè, vt illorum quidem ſu-  
 periorum, ceu bonorum ac fortium  
 virorum & militum, horum autem,  
 vt promptiorum iam & alachrio-  
 rum pro Eccleſia, in quam reſtituti  
 ſunt, opera vti liceat, in hac ſanctiſ-  
 ſimi Chriſti corporis, quod eſt Eccle-  
 ſia, exædificatione. Vtrumque  
 non eſt paſſim quorumuis, atque a-  
 deò, ſi verè loqui volumus, ne homi-  
 nis quidem cuiuſquam. Nam fides  
 omninò ſingulare quoddam Dei do-  
 num eſt, nec, vt errare ipſum ho-  
 minis eſt, ita etiam aut ab errore re-  
 uocari, aut in veritate perſiſtere, ſo-  
 lius hominis exiſtimandum eſt. Di-  
 uino enim maximè præſidio niti  
 neceſſe eſt, cum in vtroque, tum in  
 altero etiã magis. Sectum namq; eſt,  
 quod alibi vberit⁹ magna theologorū  
 affue-

ECCLĒ. CATHOLICAE. 17

assueveratione differitur. Iustificatio-  
nem vnus impij, maius omnino &  
multo valentius Dei præpotentis o-  
pus esse, ipsa vniuersi huius de nihilo  
facta structura & compositione. Faci-  
lis descensus auerni. Sed reuocare gra-  
dum, superasque euadere ad auras,  
hoc opus, hic labor est. Pauci, quos æ-  
quus amavit Iupiter, aut ardense eue-  
xit ad æthera virtus. Dijs geniti potuê-  
re. Inquit ethnicus poëta: nostro qui-  
dem prophetæ non absimiliter, qui  
perditionem quoque & interitum Is-  
raëli ipsi tribuit, hoc autem est, nobis;  
auxilium autem in perditione & in-  
teritu, ad Deum refert auctorem. Qui  
quidem Deus Opt. & Max. etsi multa  
assiduè nobiscum tacitè & latenter  
agere soleat, dum ad ostium animo-  
rum nostrorum stat & pulsat, dum  
aurem mentis nostræ vellicat, dum  
ad cor loquitur, & quasi intus canit,  
ea quidem via, quæ sensibus atque a-  
deò rationi ipsi nostræ penitus est ig-  
nota, tamen ne cætera quidem ferè  
solet prætermittere officia, in oculos  
& sensus incurrentia, & rationi inpri-

B

mis



mis nostræ consentanea, quibus ad frugem meliorem ex medio errorū & offensionum mundanarū cursu, volentes retrahamur. Qui præfunt in Ecclesia eiusmodi rebus, obseruarunt pleraque ex confessione ipsorum, qui per hæc tempora à factio- nibus hæreticorum ad Ecclesiæ so- cietatem, per Dei gratiam redierunt. Eorum quædam nobiscum commu- nicauerunt, eaque publicè hic propo- sita esse voluerunt, ad communem omnium vtilitatem atque vsum, si fortè, vel medicina olim corporis, priuatis & paucis ab initio, tum ab hoc obseruatis, tum ab alio proposi- tis, morborum remedijs colligendis, tandem est vniuersa constituta, & ad artem etiam quandam redacta, ita hæc quoque maximè necessaria ani- mi medicina, singulis istis remedijs obseruandis ac proponendis, possit aliquando perfecta acquiri, & mo- dis omnibus absoluta. Vtere his quisquis es commodo tuo, & Deum ora, primùm, vt te à contagione ista pestifera profanarum & impiarum o-  
pinionum,

ECCLĒ. CATHOLICAE. 19

pinionum, quibus hoc tempore omnia plena ac referta sunt, integrum & immunem præstet, tum autem, si quæ iam fortè aut leuior decoloratio, aut maior etiam pestilentia vis ad te inde permanuit, vt mali quicquid est, præpotenti manu sua benignus tollat, & te purum, putum, integrum etiam & benè firmum, Ecclesiæ suæ restituat, custodiendum in vitam immortalē & sempiternam.

1. *Gratiæ Dei aduersus laqueos diaboli.*

**Q**uoniam igitur eorum hominum, quos vnquam suscepti erroris heresumque in animū semel admissarum pœnituit, quos sanè nec paucos per hæc tempora fuisse, nec obscuros constat, cum alij alijs causis adducti, ad officium se suum dicant recepisse, tum omnibus vnum illud commune esse in hoc genere videtur, quod se ex æquo omnes, singulari Dei benignitate & afflatu ac instinctu

stinctū spiritus eius sancti, à falsis de religione opinionibus, vno ore affirmant recessisse. Et sanè, quemadmodum malum illud hæreticarum opinionum, inimico illi homini, qui bonis seminibus superseminare solet zizania, diabolo, inquam, auctori adscribendum est, qui posteaquam semel ab initio decepit calliditate sua. Etiam nostram, non cessat porrò hodieque insidias tendere calcaneo illius, & assiduè tanquam leo circuire, quærens quē deuoret, ita contra bonum illud, ad cor & ad viam salutis intermissam reuertendi, non alij merito acceptum ferendum est, quàm Deo Opt. & Max. qui solus à laqueis illis diaboli, in quos se ipsa impietas solet induere, vt custodire, ne in eos incidamus, ita etiam, si fortè inciderimus, eripere ac liberare potest, quiq; intus, ablato à nobis lapideo, & pro carneo corde substituto, non solum docere, sed etiam omninò inducere potest, vt visis ac somnijs hæreticorū inanibus relictis, viuæ voci eius, in sola Catholica Ecclesia personati, obediamus,



diamus, & eam vitæ viam incamus, quæ sola dux est ad puras illas, æthereas & celestes regiones.

Hęc, inquã, etsi in yniuersum ita se habeant, sunt tamen alia præterea nõnulla magis peculiaria remedia in hoc genere, quæ modò his, modò illis profuerunt, quæ sanè remedia cælari ac dissimulari non debent, etiam aliorum causa, qui si fortè sua ipsi sapientia sapere hætenus non potuerunt, aliorum saltem periculis cauti esse incipiant. Constant autem omnia ferè hæc remedia ex comparatione Catholicæ Ecclesiæ ad Synagogas hæreticorum, cuius nos quidem comparationis aliquot capita breuissimè hoc loco proponemus.

## 2. *Discordia Hæreticorum.*

**U**uat igitur principiò considerare discordiam ipsam hæreticorum, quæ talis ac tanta est, vt primùm quidem tot sectas nobis pepererit, quot homines se ad illarum factionum varietatem atque inconstantiam contulissent, deinde ve-

rò (vt est malarum omnium herbarū  
 admiranda quædam facunditas) cū  
 fingulicorum, in illa opinionum per  
 uerſitate diutius elaborare cæpiſſent,  
 numerus etiam opinionum ipſarum  
 non multò poſt, cum numero, non  
 dicam annorum, ſed propemodum  
 dierum, quibus eæ fabricabantur,  
 fuerit adæquatus. Ex quo deinde  
 tria ſunt conſequuta. Vnum, vt  
 numerus ipſe falſarum illarum opi  
 nionum, multiplicatis inter ſe tum  
 hominum tum dierum ipſorum nu  
 meris, mirum in modum augetur,  
 eoꝛque ipſo tanta quotidie in doctri  
 nam eorum confuſio induceretur,  
 vt opiniones poſtremo ipſas non  
 modo pernoſcere, ſed etiam pernu  
 merare admodum difficile fuerit.  
 Alterum etiam inde ſequebatur, vt  
 illi quidem, qui rerum ſuarum  
 & ſalutis incerti, ad eos forte venie  
 bant, incertiores multò dimitteren  
 tur, & ex ſtultis infani prorsus red  
 derentur, cum ſummo animorum  
 ſuorum periculo & iactura. Poſtre  
 mum autem, vt ipſi illi earum frau  
 dum

dum architecti, non magis ab Ecclesia ipsa, à qua secesserant, dissentirent, quàm ipsi mutuò inter se alter ab altero dissiderent, & quod omnem amentiã superat, ipsi, ipsi secum pugnant; secum, inquam, vnusquisque eorum bellum gereret, dum ea, quę paulo antè pro veris, primis, solis & ipse duxit, & orbi ipsi terrarũ vniuerso, maxima contentione venditauit, ipse ad extremum ita repudiaret, vt omnia aut planè in vniuersum negando, ex rerum quasi natura tolleretur, aut limatius, vt sibi videtur, differendo, falsi omnino argueret. Quæ res quidem si in vita hac nostra communi, de rebus nunc sic, nunc alio modo se habentibus, ægerrimè ferri posset, in cœlesti quidem & certissima omnium salutis doctrina tradenda, post tot præsertim à fundatione Christianismi exactas ætates, & post tot sæcula consecuta, ferri ab hominibus Christianis non debet, Inest. n. in eo, præter cætera incõmoda insignis quædã turpitudine, non modò Theologorum, sed etiã virorũ quorumlibet

rumlibet grauitate prorsus indigna. Nota est Melanthonis, atq; adeò Lutheri ipsius, & aliorum gregalium propria in nouis assidue procudendis dogmatibus varietas & inconstantia, tanta singulorum contra singulos acerbitate defensa, vt res non semel, nõ solùm ad maledicta scurrilia, sed etiam ad arma hostilia deuenerit. Nam & Anabaptistę contra Lutheranos, & Lutherani contra Caluinistas, & Caluinistę vicissim aduersus Lutheranos multis in locis, hostiliter exarserunt, & ad arma denique cucurrerunt. Atque adeò vniuersa eorum doctrina, qui se ab Ecclesia præciderunt, vtut verbum Dei, & pacis Euāgelium verbo præ se ferat, vtut interdum, siue diuini numinis gloriam & honorem, siue adeò commodum rerump. nefarijs suis consilijs per speciem prætere videatur, quantum tamen ex rebus ipsis & in Heluetia, & in Germania, & in Anglia, & in Scotia, & in Gallia consecutis iudicari potest, reuerà nihil aliud est, quàm flabellum quoddam seditionis, & funesta fax incendi-  
diorum

ECCLĒ. CATHOLICAE. 25  
diorum ac bellorum ciuiliū, bello-  
rum, inquam, tum perniciosissimo-  
rum illorum in Ecclesia & in Repub.  
tum etiam horum fœdissimorū, in-  
ter ipsos eorum dogmatum duces &  
auctores commissorum, mirabili  
quodam & imperuestigabili Dei iu-  
dicio, quo fit, vt per inimicos ipse  
suos vindictam sumat de inimicis  
suis. Iam illud, quod perpetuò in ista  
inconstantissima eorum incertitu-  
dine, & in discordi admodum varie-  
tate obseruatum extitit, quid est, si nō  
proiecta quædam vœsania, & fatalis  
eorum calamitas est? quod mutandis  
istis suis & tam variè, & tam facilè, &  
tam crebrò, opinionibus, non ferè  
vnquam, nec casu, nec studio, in me-  
lius vergant, sed semper in deterius, &  
quidem vsque adeò deterius, vt ab e-  
iusmodi initio ad talem exitum per-  
ueniri aliquando potuisse vix quis-  
quam existimauerit. Quis enim cre-  
didisset vnquam, vt ab aqua & cereis  
benedictis, quæ isti primùm sola ar-  
rodere cæperunt, gradus aliquando  
fieret ad Iesu Christi Dei nostri diui-  
nitatem

B 5 nitatem

nitatem conuellendam? aut ad sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis maiestatem & gloriam conculcandam? Atqui vtrumque ætas nostra vidit & audiuit, & cum eiusmodi furias, aduersus omne id, quod est Deus, rabiosissimè confitatas intuetur, haud ferè liquidò affirmare potest, ecquidnam præterea visura sit aut auditura maiorum etiamnum blasphemiarum. Negebat olim fortè fortuna nescio quis, vel scio potius, nam interfui, apostolorum sanctitatem, singulos eorum, vt solent isti, in ordinem redigens. (Hæc enim tum sola scilicet in circulis & conuiujs iactabantur) Excepit confestim alius, peruersi genus dogmatis seriò refugiens, orationisque insolentiam ad maius etiam incommodum adducens. Quid? Si, inquit, eodem hoc modo, quo negas Apostolorum sanctitatem, eius quoque ipsius diuinitatem neges, qui Apostolorum fuit Dominus & magister? Quid factum est? Equidem ad eam tunc vocem, aures omnium qui aderant, atque adeò eius quoque ipsius, qui se  
Apostolis

ECCLE. CATHOLICAE. 27

Apostolis iam ipsis iniquum iudicem ferebat, ita inhorruerant, ut, quin vestes ad illam tantam tamque inauditam blasphemiam ab omnibus scinderentur, nihil admodum deesse videretur. Nondum videlicet tum assueueramus os in caelum ponere, & cum gigantibus impia aduersus Deum bella moliri, armis plusquam paricidalibus. Perfractis autem semel religiosi pudoris repagulis, & meta transgressa verecundiae, Deo & diuinis omnibus rebus debitae, eadem illae aures, quae tunc nudam scilicet huius tam impię & modis omnibus detestabilis ac execrandae rei interrogationem non ferebant, aliquot modò postea interiectis annis, nefariam flagitiosissimi & petulantissimi eiusdem dogmatis asseuerationem ipsam tulerunt, atque haud scio an in cor etiam ipsum, proh dolor, demiserunt. Sic enim profectò se res habet, ut cuneus à tenuissima fissura tentato initio, crassissimas etiam arbores, nouis identidem ingeminandis ictibus, valeat diffindere.

3. Con-

3. *Concordia Catholicorum,  
est unitas Ecclesie.*

**H**anc ego te principio tantam hæreticorum inter ipsos digladiationem, per summam eorum inconstantiam & mobilitatem animorum de malis rebus præsentibus ad pessimas quasque magis ac magis delabentem, præ oculis habere assidue cupio, ut deinde ex adverso facilius tecum consideres & expendas consensum & concordiam Ecclesie ipsius, quæ omnibus omnium temporum interuallis, eam constantiæ laudem tenuit, ut omnium eorum, qui gremio ipsius continerentur, cor unum, & anima una, atque adeo etiam labium unum esse videretur. Neque id modo in ijs appareret, qui aut iisdem ex locis orti essent, aut iisdem temporibus vixissent, sed etiam multo magis in illis, quorum & origines, & ætates magnopere distinctas esse videmus: quorum omnium in rebus quidem ad Dei cultum, & ad pietatem pertinentibus, tanta semper extitit con-



ECCLĒ. CATHOLICAE. 29

sensio, vt manifestò ab illis omnibus vnus Deus coli, vna fides prædicari, vnum baptisma publicari, &, quod ferè horum omnium causa est, vnū, vnum in terris aspectabile caput Ecclesiæ agnosci videretur. Quo quidem ex tot & tatarum rerum, tam arcta communione & consensu, ipsa etiã Ecclesia VNA est facta, & quidē, vt dixi, ex eo maximè vna, quod vnū semper inter pōtifices principem, ex hominib' ipsis assumptū, & pro omnibus hominibus constitutum haberet, ad quem omnes suas de religione controuersias ac contentiones referret, quæ profectò contentiones neque deesse vnquam possent, non vno aliquo earum moderatore & arbitro constituto, neque, dum vigeant, Ecclesiam vlla ratione vnam esse patiantur. Sicut enim vnam, quam sic populanter appellamus ciuitatem, nulla res ex omnibus æquè ac vnus aliquis supremus, proprius quidem ipsi ac peculiaris magistratus constituit, qui, si modò statum ac conditionem ciuitatis illius vtiliter cōseruare  
ac

ac tueri debeat, cum eiusmodi sanè potestate in ea versetur, oportet vt legis loquentis vicem sustineat, & quæ velit, non modò facilè apud ciues, sed etiam necessariò obtineat: alioqui omnem illam multitudinem breui dissipari ac dilabi necesse sit, ita nisi Ecclesia vnum semper cum summa potestate aspectabilem, & ob ipsos oculos positum ducem habeat, cuius interim supremo arbitrio diuersissima & infinitissima hominum studia moderetur, vna quidem esse ciuitas, vna Respub. vna denique Ecclesia non poterit. Atque hoc ita esse, abundè, vt puto, declarant tot & tam variæ hæreticorum synagogæ, quæ vt primùm vni huic Duci ac moderatori Ecclesiæ parère desierunt, subito, peius etiam quàm si Babylonis alicuius ædificatrices extitissent, & mente & voce confusæ sunt. Verè enim dixit Augustinus. In cathedra vnitatis doctrinam positam esse veritatis. Quod cum ita sit, est sanè quod nobis ex animo gratulemur, Catholici, eum, qui pro vera ipsa Ecclesia sic rogauit,

gavit, vt quemadmodum ipse cum patre Deo vnum est, ita ij, qui in eum credituri erant, vnum essent: cum, inquam, exauditum fuisse pro sua dignitate. Est item, quod sectas istas, omni interposita execratione detestemur, quæ, dum id, quod CHRISTVS dominus, vnum esse voluit, secare per scelus ac lacere non verentur, barbarum sanè ipsum & immanem Pilati militem, videntur prorsus immanitate ipsa sua superare: qui miles non solum CHRISTI mortui crura ipse non fregit, sed etiam de vna inconfutili ipsius tunica sortiri maluit, quàm eam scindendo reddere ad vsum inhabilem planè & ineptam.

4. *Sanctitas Ecclesie.*



Tq; hic rursus illud mihi consideres velim, quòd Ecclesia quidem, eadem illa, quæ, vt diximus

ximus, vna est, SANCTA etiam & est, & ita dicitur. Quotquot enim vquam sancti facti sunt, in hac sola sancti facti sunt. Hæc habuit sanctos & auctores & propagatores doctrinæ suæ, sanctum Iesum Christum, verū & vnicum Dei filium, sanctos Apostolos, sanctos Euangelistas, sanctos Pastores & Doctores, sanctos Martyres, sanctos Confessores, qui omnes ferè ab eremo & locis solitarijs ac desertis & incultis, à ieiunijs, à vigilijs, à precibus continuis, à paupertate, à castitate, à sobrietate, à cinere, à cilicio, à flagris, à macie, breuiter, ab appetendis ijs quæ vulgus odit ac reformidat, & contrà à contemnendis & pro nihilo habendis quæ admiratur, ad annunciandum orbi terrarum Iesu Christi Euangelium se contulerunt, vel potius aut de more missi sunt ab ijs, qui legitime in loca Apostolorum successerunt, aut extra ordinem, voce cælitus demissa, vel etiam miraculis doctrinam eorum consequentibus, fuerunt orbi terrarū, pro ijs qui missi essent, declarati.

ECCLĒ. CATHOLICAE. 33

declarati. Quos qui deinde posterioribus temporibus in eadem Ecclesia hucusque secuti sunt, etsi tanta fortassis sanctitatis ac miraculorum opinione non claruerunt, non minus tamen quàm illi primi, sanctitatis & pietatis eiusdem præcones ac internuncij fuerunt: nec minus populum ad ieiunia, ad preces, ad rerum omnium mundanarum contemptum, ad castitatem, ad ciliciũ, ad cinerem, ad obedientiam, ad charitatem, ad alia denique omnia sancta & Deo grata opera, voce sua vocauerunt: se ipsi etiam ad eandem vitæ regulam, quantum maximè potuerunt, componere studuerunt: aut si quid ab ea, in hac carnis infirmitate, & temporum corruptela aberrauerunt, se ipsos accusauerunt, & de peccatis pœnitentiam egerunt: quæ omnia ne nunc quidem facere pro parte sua virili destiterunt. Quid autem eorum auditores? Non repetam vetera illa & meliora tempora, quorum exemplis etiam de scripto recitandis ætas me propemodum deficeret. Illud dico, qui proximè Lu-  
C theri

theri tempora præcesserunt, maiores nostros ex omni gente & natione, quæ sub cælo est, tãtam erga superiores reuerentiam præ se tulisse, tanta clementia & humanitate erga inferiores vsos esse, ita fidem, veritatem, dictorum factorumque constãtiam, ita iustitiam liberalitatem, continentiam, modestiam, & reliquas eiusmodi virtutes, ex sacris illorum temporum concionibus haustas, cum equalibus coluisse, vt nos, qui à nouis scilicet magistris istis, nouum quoddam sanctioris pietatis & religionis genus nuper haurire capimus, ne cõferre quidem ipsis audeamus.

5. *Impietas hereticorum.*

**N**unc agè, attingamus saltem leui brachio, nouæ istius Synagogæ, nescio cuius, mores atque vitam, in magnis profectò illis omnium clamoribus, qui continuò verbum Dei iactare non desistunt, nec maiorem, vt leuissimè dicam, obedientiam erga superiores, quàm olim fuerit, nec maiorē castitatem, nec maiorem

maioꝛem vitioꝛum fugā, nec maioꝛē  
 percipiendōꝛū sacramentōꝛū frequē-  
 tiā, nec maioꝛem aut vberioꝛem ab-  
 stinentiæ, sobrietatis, aut aliaꝛum ve-  
 rarum virtutum pꝛouentum inue-  
 niemus, quæ sanè virtutes omnes,  
 simul vt nouoꝛum istoꝛum dogma-  
 tum veluti quidaꝛ licētiæ discus in-  
 crepuit, omnes, quod dolenteꝛ qui-  
 dem, sed tamen necessariò fatendum  
 est, ex ipso quasi terrarum orbe emi-  
 grasse, & simul cum Catholicōꝛum  
 concionatoꝛum voce, conticuisse vi-  
 dentur. Nam, vt interim dicere omit-  
 tam, de ijs, quæ in eoꝛum locum suc-  
 cesserunt, quotusquisque, quæso,  
 pꝛ totum hoc noui euangeliꝝ tem-  
 pus, in vniuerso illo grege inuentus  
 est, qui ob vitam honestè, & cum  
 pietate actam, in diuōꝛum nume-  
 rum sit relatus? De communi ho-  
 minum genere loquor. Quid  
 dicam de magistris ipsis? Equi-  
 dem si eoꝛum sanctimoniam paulif-  
 per scrutari voluerimus, comperie-  
 mus magnā eoꝛum partem à rapina, à  
 cæde, à periurio, maximā à crapula, à

Iustis, à vino, à venere, ab ocio, ab a-  
 lea, breuiter ab omni carnis lasciuiam,  
 ad eiusdemmodi porrò vitam con-  
 sectandam, & tum sibi, tum alijs pro-  
 pemodum commendandam, prorep-  
 sisse, sine vlla aut insigni alicuius e-  
 ruditionis, aut, quod magis etiã rem  
 continet, pietatis commendatione, &  
 denique, quod caput est, sine vllò te-  
 stimonio aut missionis ordinariæ aut  
 miraculorum. Nimirũ illi, qui fidem  
 omni virtute spoliant, & solam abs-  
 que vllò sanctarum actionum comi-  
 tatu, in vitam hominum, tanquam  
 in scenam, producant: qui que adeò  
 nullam in seipsis solidam aut expressam  
 virtutis effigiem, sed imaginem dun-  
 taxat fictam & adumbratam, & vt ipsi lo-  
 quuntur, imputatam cuiusdam iusti-  
 tiæ agnoscunt: eam demum magnam  
 scilicet voluptatem esse ducunt, æ-  
 qualem ac parem verbis vitam age-  
 re, moribusque vicissim ipsis oratio-  
 nem tanquam cothurnum accom-  
 modare: nec ferè quicquam in vita  
 sua tam dissolutum putare, quod non  
 ex intimis ipsis professionis suæ visce-  
 ribus



ribus ac medullis deprompta doctrina tueantur. Videlicet nec qui ita viuunt aliter loqui possunt, nec qui sermone vtuntur tam illoto, vita honestiores sunt. Itaque ergo eius vitæ quam sequuntur, non solum eos aut pudere, aut poenitere non potest, sed, si modò sibi consentanei esse velint, ne debet quidem, gloriandum ijs potius fuerit, vti quidem gloriari verè possunt, quòd & doctrinæ suæ conuenienter viuant, & vitæ ipsi ac moribus suis aptè admodum ac congruenter doceant, cum pro castitate incestas nuptias, pro contemptu diuitiarum sacrilegia & rapinas, luxum pro ieiunio profitentur, cum pro obedientia & subiectione aduersus magistratus, populum ad tumultum & perduellionem concitant, cum classicum belli ciuilis canunt, cum omnes honestas & laudabiles actiones eleuant, & tantum non ex vita hominum exterminant & proscribunt, cum ad omnem nequitiam & impudentiam fenestram aperiant, non solum præcisa, & ultra ferè medium resecta honesta vitæ

prædicatione, quæ apud eos, remota & eiecta meriti ratione, necessariò friget, verumetiam, sublata prorsus è medio, vitæ intemperanioris pœnitentia, quæ vel sola, dum in Ecclesia publicè obseruata est, multos à scelere & flagitio potuit cohibere: breuiter, cum non Ecclesiam C H R I S T I regere, sed Sathanæ Synagogam instituire, & non religionem aut pietatem docere, sed ipsum terrarum orbem, quemadmodum videmus, stupro, nequitia, crapula, periurio, fraude, flagitio, imbucere videri possunt. Quæ enim conuentio Christi cum Belial, aut quæ societas lucis cum tenebris? Atqui ad eam tamen eiusmodi magistrorum, vel, vt ipsi appellari amant, Ministrorum doctrinam, video plerosq; etiam Ministros ipsos dociliores se, penè plus quàm sat erat, præbuisse. Quis enim vnquam eorum (qui tamen omnes vniuersis ipsis Ministris suis meliores, pudentiores, virtutis amantiore sunt) quis, inquam, illorum fortior, iustior, pientior, liberalior, continentior,

ECCLE. CATHOLICAE. 39


tinentior, veracior, simplicior, ab ea doctrina est factus? quis non potius iniustior, impudentior, rapacior, dissolutior, mendacior, versutior? Vbi nunc est prisca illa maiorum nostrorum fides, pietas, innocentia, veritas, & quam iam etiam in vitio scilicet ponimus, simplicitas? Fontes mihi mehercule ipsi earum rerum, cum religione vnà, non tam exaruisse, quam in contrarios liquores degenerauisse videntur. Sed hæc omnia, quæ de Catholicorum & sectariorum sanctitate vtrunque dicta sunt, re ipsa quam verbis notiora sunt. Utros igitur mauis? Odiui, inquit psalmographus, Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo. At quæ est malignantium Ecclesia? Ex fructibus eorum cognoscetis eos, inquit Magister omnium nostrum Christus.

6. *Novitas hæreticorum.*

7. *Discessio hæreticorum  
ab Ecclesia.*

C 4

Quid

 Vid aliud? Etiam illud reputes tecum licet, quòd hi isti Ministri, de quibus loquimur, præter discordiam, de qua superius, & de qua modò locuti sumus, nequitiam, vel ob ipsam saltem, quam aliquo etiã modo attigim⁹, nouitatē, & ab Ecclesia discessionē, nō possūt esse bonis & pijs omnib. nō suspecti. Ipsū enim factionis & nouitatis vocabulum, non solum in Ecclesia, sed etiam in Repub. suspicionis est plenum. Cedo, quī vestram Rempub. tantam amisistis tam cito? Respondetur apud Næuium. Proueniebant, inquit, oratores noui, stulti adolescentuli. Quādo enim, obsecro, Ministri isti orti sunt, quos Mescislaus noster in Polonia, quos Iagello in Lituania, fundanda religione Christiana ignorarunt? Modò, modò, inquam, nostra hac memoria, & nostro hoc admodum infœlici sæculo, non bonis illis maiorum nostrorum temporib⁹ nati sunt & quod maiorem etiam doctrinę eorum nouitatem arguit, dogmata ipsa quæ in vulgus pro vetustissimis disseminant,

minant, non aut patres eorum morientes, testamento ipsis reliquerunt, aut statim nascentes ipsi, ex matris utero secum, tanquam cælitus, attulerunt, aut verò nati, cum nutricum postea lacte suxerunt, aut denique adulti, tanquam tradita olim à maioribus propagauerunt, sed multo etiam postquam & nati & adulti essent, ultro procudere demum ceperunt, ita quidem, ut ipsi illi recentissimi, & ut sic dicam, omnium nouissimi homines, religione ipsa sua antiquiores sint, quod tamen, si ex vera commendatione pendere res deberet, contrà esse decuit, ut religio ipsa, abortiua ista prole esset antiquior. Planè igitur sunt cum doctrina sua noui. Quid autem? num habent etiam cōmune aliquid cum ceteris Christianorum Ecclesijs, quas oriens, occidēs, meridies, septētrio complectitur? Nihil minus. Monstrum enim quoddam alunt, & priuatum nescio quid ac separatum, ipsisque adeò priuatis in locis atque angustijs priuatim fouent ac tuentur, remotum non solum à sententia reliquarum

quarum omnium Christianarum ecclesiarum, & ab utilitate, verumetiam à sensu ferè ipso communi: dum & eiusmodi nobis iustum nescio quem depingunt, qui in optima quaque actione peccet: & Deum ipsum pessimarum quarumq; actionum auctorem statuunt: & quicquid à nobis in vita fiat, aut geratur, id nō modò serviliter, sed etiam coactè & inuitè, brutorum in morem: nec id modò, verumetiam sine omni propemodum & motu & sensu, non secus quàm si stipites essemus, geri ac fieri aiunt. Itaque non modò olim maiores nostri legibus communibus & fædere ac pactione publica, eius generis homines (atque adeò tanto tolerabiliore, quanto Hussitarum & Calixtinorum doctrina, quæ tunc viguit, nostri istius temporis hæreticis, & hac ipsa, quæ viget maximè, Anabaptistarum impietate, & blasphemijs Trideistarum, tolerabilior videbatur) abigendos ex hoc regno, & exterminandos, ac in vltimas terras deportandos putauerunt, sed etiam nuper

per

per Moscus ipse medius fidius, barbarus & schismaticus princeps, repudi-  
 asse eos, & intimis sensibus auersatus  
 esse dicitur. Parum dico. Ipsi, inquam  
 inter se ita separati & ita exosi sunt, vt  
 alteri alteros extra Synagogas suas  
 eijciant, diris deuoucant, igni deni-  
 que comburendos tradant. Quam  
 igitur eorum Ecclesiam esse putabis,  
 qui & nuper adeò nati ab Ecclesia ve-  
 ra descuerunt, & ad nullam aliam in  
 orbe terrarum Ecclesiam, tempori-  
 bus suis antiquiorem se contule-  
 runt, sed cùm ex nobis exissent, alta-  
 re contra altare erexerunt, & se pro  
 nouæ Synagogæ fundatoribus, pro-  
 que paradoxorum dogmatum au-  
 ctoribus venditauerunt, sic quidem,  
 vt non minus à schismaticis quàm  
 à Catholicis ipsis, nec magis à Ca-  
 tholicis, quàm à seipsis reijcerentur:  
 homines, quibus neque apud Danaòs  
 vsquàm locus, insuper ipsi Dardani-  
 dæ infensi panas cùm sanguine pos-  
 cunt.

8. Eccle-

8. *Ecclesie Catholicae  
consideratio.*

**A**Tqui Ecclesia, quæ verè hoc nomine dici debet, ea non minus **CATHOLICA**, quàm vna, & sancta esse debet. Quid est Catholica? non priuata, non quotidie noua, non obscura, sed clara, prisca, perpetua, publica, breuiter vniuersitatem quãdam rerum, locorum, temporum, personarum, rationum etiam comprehendens. Rerum, quæ videlicet non vnũ aliquid singulare ex doctrina sancta excerpit, vnumquẽ illud vrgeat, sed quæ omnia seruare doceat, quæcunque diuinitus tam scripto quàm voce viua imperata, tradita, laudata etiam ac cõmendata sunt nobis. Locorum: quæ non hic modò aut illic, nec aut in deserto modò & inculto ac ignobili aliquo vico, aut in ædium tantũ priuatarum penetralibus, Christum cõcludat, sed quæ vltimis ipsis terræ finibus imperium eius describat, atque definiat. Temporum: quæ non id statim pro vero recipiat, quod simul vt  
exortum



ECCLE. CATHOLICAE. 45

exortum est, paulo post humore destitutum exaruit, sed quæ, quod fuit iam inde ab initio, & quod etiamnum permanet, & ad extremum usque extremi iudicij diem permanebit, id studiosè admodum & constanter profiteatur. Personarum, quæ videlicet neque Pauli se esse dicat, neque Apollo, neque Cephæ, neque multo his inferiorum, Lutheri, Caluini, Beze, sed vnus & indiuisi Christi. Rationum denique, quæ nihil omnino priuatæ rationis priuatim sibi seligat. (Ex hac enim eiusmodi priuatarum rationum priuata selectione, hereses ipsas & ortum pariter & appellationem suam accepisse constat) sed quæ, cum cõmune naturæ, & quæ secunda quasi natura est, scripturæ iudicium sequatur, tũ verò in ipsa scriptura pertractanda, hos sibi veluti cancellos quosdam cõmunes, & in omni professionis genere per necessarios, circumscribat. Vnum, ne scripta in speciem contraria verbis potius inter se committat, quàm sententia conciliet. Alterũ, ne sententiam vnus duorumũc,

cupis  
aut

aut cōmuni omnium sententiæ, aut  
 verò perspicuo ipsi scripto āteponat.  
 Tertium, ne quod omnino, quātum-  
 uis in speciem perspicuum, tanto aūt  
 magis, ne quod apertè ambigū legis  
 mutæ scriptum, aut suo paucorum m̄c  
 hominum sensu definiat, aut senten-  
 tiæ omnium cōmuni, id autem est,  
 magistratus ipsius viuæ voci, quasi  
 exaduerso obijciat. Postremum,  
 vt priuatam quamlibet ratiocinatio-  
 nem, vel communi omnium, vel  
 magistratus certè ipsius ratiocinatio-  
 ne temperet. Omnino autem, ne  
 aut secreta modò quædā veluti Stoi-  
 corum Paradoxa, secretis, ac sepa-  
 ratis à communi vniuersorum sen-  
 tentia rationibus defendat, cætera  
 aspernetur, aut rursus solas vulga-  
 ras, & quæ secundo populo defendi  
 possunt, sententias protrita ipsa ac  
 peruulgata ratione consecetur, pru-  
 dentum decreta negligat, sed medi-  
 um teneat, & in modum apis circum-  
 uolitans, vndique ita delibet ac de-  
 cerpat, vt vulgaria sanioribus con-  
 diat, humana autem diuinis regat  
 atque

atque moderetur . Opinionum enim humanarū cōmenta delet dies, veritas autem domini manet in æternum.

9. *Ecclesie Apostolicæ consideratio, quæ est in successione.*

**Q**uibus quidem omnibus considerandis rebus, haud scio, an vlla sit siue præstantior, siue adeò efficacior, quàm si quis illud assiduè non magis mente promptum gerat, quàm ob oculos positum intueatur, quòd Ecclesia ipsa, præter cætera, quæ suprà exposuimus, eadem & est, & dicitur **A P O S T O L I C A**: hoc autem est, quòd successionem quandam continuatam iam inde ab apostolis, ad viuum, vt sic dicam, potest demonstrare: successionem, inquam, non magis certorum hominum in loca & cathedras ac Episcopatus ab Apostolis institutos, quod quidem ipsum, etiam per se magnum est, quàm doctrinæ

doctrinæ suæ in doctrinam ipsam Apostolorum, quæ apud Episcopos ipsos, nec ferè alibi, deposita omnino extitit, qui etiam ipsi deinde, mittendis quaquaversum in vices suas, & per manuum impositionem ordinandis præbyteris, doctrinam ipsam Apostolorum, & vicaria quasi, ac delegata eorum opera, per totum terrarum orbem disseminauerunt, & eandem, sua quidem in præbyteros auctoritate, præbyterorū autem vicissim erga se obedientia, integrā ac incontaminatam hucusque conseruarunt. Quid iuuat ea consideratio successionis, inquis? Permulum equidem. Ibi enim profecto vnumquodque reperiri verisimilius est, vbi reconditū est, quàm ibi, vbi nunquam est, neque conditū, neque positum. Vt enim ij, qui in arte differendi versantur, locum aiunt esse argumenti sedem, ita nos, qui certam ac firmam doctrinam de Deo quærimus, successionem hanc Episcoporum, sedem esse veræ & Apostolicæ ipsius doctrinæ existimare debemus; sic, vt eam quidem non aliunde  
quàm

ECCLE. CATHOLICAE. 49

quàm ab ijs Episcopis, qui in Apostolorum loca successerunt, hauriendã esse censeamus. Nam cum omnibus in vniuersum sacerdotibus ita demãdata sit diuinitus custodia scientiæ salutaris, vt eam populus scilicet ex ore eorum requirat: tum verò nominatim eadem hæc ista scientia, tanquam peculiare quoddam depositum, eorum fidei credita est, qui ab Apostolis semel instituti, succedere sibi, ad consummationem sanctorum in opus ministerij debuerunt: & ita quidem credita, vt depositum eiusmodi, omni adhibita cautione, diligenter non solum sibi asseruarent, sed, vt Paulus Timotheo præcipit, etiã alijs custodirent. At non custodierunt, inquis. Primũ. Quis mihi id persuadet? deinde verò etiam, quis me eius rei iudicem constituit? Ouis ego sum, illi pastores. Annunquã quisquã ouem vidit alia sibi pabula, quàm quæ à pastore præberentur, inquirentem? Mihi verò summus omnium pastor Christus ait: Quicquid demum ij dixerint, qui in cathedram Moysis successerunt,

D                      cesserunt,

cesserūt, id omne præstari à me oportere. Ergo mihi quidem an depositū fatis fideliter pastores custodierint, nec liquet, nec adeò inquirendum est: est enim qui inquiret, & iudicet: illud liquet, depositum hoc istud commendatum eorum fidei fuisse, aliorum non fuisse: me etiam ex illorum ore pendere, & ab eis, omnia quæ ad salutis meæ rationem pertinent, requirere iussum esse. Quemadmodum igitur Magi illi, dum CHRISTVM natum quærunt, Hierosolymis de eo percontantur, ubi Deus Opt. & Max. legum ceremoniarumque suarum domicilium tunc esse voluerat: & quemadmodum Maria, dum sepultum dominum extremo honore prosequi desiderat, ad ipsum, in quo eum condidit nuper viderat, sepulchrum rectè gradum facit: sic ego, si CHRIS-  
 TVM inuenire cupio, ea sanè loca lustrare in primis debeo, quæ sunt maxime insignibus ipsius aut testimonijs, aut verò etiam vestigijs consecrata. In quo etiam, si fortè præ-  
ter

ECCLĒ. CATHOLICAE. 51

ter opinionem meam ita acciderit, ut Dominum ipsum neque Hierosolymis cum Magis, neque in monumento cum Maria reperiam, illud tamen pro eo luci feram, ut ibi quidem principes sacerdotum, & scribas: hic autem angelum ipsum reperiam, qui mihi interim, tanquam exoptata illa in naufragio Cynosura Solis orientis aut obeūtis regiones, ita in medijs illis meis dubitationibus, siue Bethleemum, siue adeo Galileā, certa tūc tēporis domini mei hospitia ac receptacula demonstrant, & officium animo quidem meo hēsitantī præstent iucundū in primis atq; salutare. Atq; hæc est ferè prima successiōnis hui⁹ in Ecclesia insignis admodū utilitas. Cui alterā hanc quoq; nihilo, ut puto, inferiorem, addamus licet: quòd uti nō solūm ad nobilitatē nostram gloriosum, verumetiam ad legitimi nostri generis demonstratiōnem, certū in primis & maximè idoneum non esse non potest habere domi quasdā veluti maiorum imagines, quib⁹ semper ad certitudinem simul

& claritatem nostri generis rectè niti,  
 & ignominiosum illud S. P. quo Ro-  
 mani olim nothos, & incerto patre  
 procreatos significare solebant, vita-  
 re posse videamur: ita necessariò fatē-  
 dum est, nos, qui successionem hanc  
 in Ecclesia, ceu quasdam maiorum  
 nostrorum imagines, tenem⁹ ac tue-  
 mur, facilè præ cæteris omnibus, legi-  
 timum ac nobile genus nostrum in  
 religione Christiana, & tenere ipsos  
 ac tueri, & ab aliorum etiam calum-  
 nijs posse vindicare.

*10. Successio Episcoporum nul-  
 la apud hæreticos.*

**S**I possent saltem successionem  
 hanc aduersariorum admini-  
 stri in se ipsis demonstrare,  
 quosnam quæso spiritus sumerent?  
 quos etiam triumphos agerent? aut  
 verò quotumquenque etiam no-  
 strum ad suam illam factionem non  
 iustissimè pellicere viderentur? Nunc  
 quis est qui non miretur, homines  
 nullis natalibus insignes, nullis pro-  
 pmodum



pemodum ortos maioribus, & bre-  
 uiter, terræ filios, tantam familiam  
 ducere? Cupio, inquit Tertullianus,  
 ostendant mihi ex qua auctoritate  
 prodierint: edant origines Ecclesia-  
 rum suarum: euoluant ordinem E-  
 piscoporum suorum, ita per succes-  
 siones ab initio decurrentem, vt pri-  
 mus ille Episcopus aliquem ex Apo-  
 stolis, vel ex ijs qui fuerint cum Apo-  
 stolis, habuerit auctorem & anteces-  
 sorem. Hoc enim, inquit, modo Ec-  
 clesiæ Apostolicæ census suos defe-  
 runt, &c. Isti verò non modò suc-  
 cessionem suam non demonstrant,  
 sed ne missionem quidem expectant  
 vllam. Nam si missi sunt, id quidem  
 aut à Deo fieri oportuit, & tunc ad-  
 mirandis illis operibus edendis, fa-  
 ciant nobis suæ missionis fidem: aut  
 verò à potestate ordinaria, & tunc, si  
 id fortè quidam eorum ita se habe-  
 re ostenderint, videant sanè magno-  
 pere, ne ad missionis fidem, non satis-  
 fit ex nobis prodijisse, nisi etiam ex no-  
 bis fuerint. Esse autem ex nobis, eorū  
 tantū esse proprium meminerint, qui  
 nobiscum

nobiscū permanserint. Qui enim sec<sup>o</sup> fecerint, ij quidē manifestò ostendūt, ex nobis se nō fuisse: vti quidē egregiè B. Ioannes Apostolus in sua epistola canonica argumentatur. Horū tu igitur auctoritatem in salute tua procuranda sequare, qui nec ducem, à quo ad prædicandum euangelium missi fuerint: nec auctorem vllum, à quo profecti sint, idoneum edere, sed ne argumentum quidem saltem probabile, cur edendis ijs opus non habeant, proferre vlla ratione posse videantur? Mihi verò sanè Christus ipse eos potissimum nobis ad cauendum tanquam digito monstrasse videtur, dum ijs maximè serijs verbis ad nos vtitur: Attendite, attendite, inquit, à falsis prophetis, qui non mittuntur, sed vltro ipsi ad vos veniunt, vobisque se obtrudunt. Quos ipsos totidem penè verbis designat quoque Ieremias propheta in persona Dei: Currebant, inquit, & ego non mittebam eos. Ergo neque ipsi, cum missi non sint, Apostoli esse possunt: neq; nos, si eos audiamus, fideles

deles esse vlla ratione poterimus. Pulchre enim colligit Paulus, dū ita gradationem suam instituit: Omnis, inquit, qui inuocauerit nomen domini salu<sup>9</sup> erit. Quomodo autē inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent, cū non audierint? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt nisi mittantur? Ex quo sequitur, vt nisi eos habuerimus, qui ad nos mittantur, neque prædicatores sanè habere, & ex consequenti neque audire quicquam, neque credere, neque adeò nomen domini inuocare posse videamur. Tantum est in hac missione momenti constitutum.

Atque hæc sunt quidem præcipua, quæ plerisque in gremio Ecclesiæ hætenus tenuerunt: plerisque alios, à secta & factione hæreticorum ad Ecclesiam traduxerunt, quæ ceteri etiam non sine fructu sibi proponēt in eiusdē modi deliberatione. Nunc reliqua breuiter, vt capimus, persequamur: quæ non minus multo adiuumento fuisse comperimus, ad



euitandas, vel contemnendas infidias  
hæreticorum.

11. *Sacramenta Ecclesie  
Catholicæ.*

12. *Sacrificium Ecclesie  
Catholicæ.*

**I**ntelligendum est igitur S A-  
C R A M E N T A & S A-  
C R I F I C I A ipsa magno-  
pere etiam dignitatem simul & veri-  
tatem Ecclesie demonstrare. Quid  
enim tam proprium Ecclesie esse po-  
test, quàm sacerdos? quid tam pecu-  
liare quàm sacramentum? quid tam  
præcipuum quàm sacrificium? sine  
quibus Ecclesia non modò constitui  
nulla potest, sed ne cogitatione qui-  
dem adumbrari. Conferamus igitur  
in his quoque nostra cum hæreticis,  
& consideremus paulisper, hinc qui-  
dem, vna, sancta, catholica, Apostoli-  
ca Ecclesia, quàm se hac quoque par-  
te omnibus hæreticorum Synagogis  
excel-

ECCLĒ. CATHOLICAE. 57

excellentiore[m] declaret, quę & sacramenta quidem omnia plenissimo nō solum numero, sed etiam pondere, ut ita dicam, retinuerit: & sacrificio etiā ipso maximē sublimi & excelso semper v[er]sa fuerit. Nam sacramenta quidē quod attinet, ea in vniuersum septem numerat, totidem videlicet non solum remedia, aduersus septem quę vocantur peccata mortifera, sed etiā vasa gratiæ Dei, & totidē donorū spiritus sancti. Quę quidem sacramenta etsi, pro eo ut debet, magnificat omnia, eisq; ad gregis sui salutem, quoties opus est, libenter admodum vtitur: præ cæteris tamen ipsum eucharistiæ sacramentum tanto verborum honore prosequitur, ut diuina institutione informata, audeat verissimē dicere, populoq; persuadere, Christum ibi verum & integrum contineri. Hocque ipsum sacramentum, etiā sacrificium esse statuit, cum se ipsa dignissimum, tum verò diuino ipsi numini placando & propitio reddendo longe accommodatissimum: tremendū quidem & omni semper veneratione

D 5 pro-

prosequendum: quo ipso etiam quotidie perfungitur, tum ad repræsentandam, tum ad applicandam mentibus suorum fidelium passionem ac mortem Christi Dei nostri, ex qua sola haustum ac depromptum est, quicquid est in ipso ecclesiæ sacrificio sanctum atque salutare.

### *13. Sacramenta hæreticorum.*

**Q**uid autem contra hæreticorum Synagoga? Primùm sacramenta ipsa, ut cuique eorum libitum est, numero sensim deminuit, eaque postremò ad dualè ferè, Romanis nõ magis in sermone quàm in sacramētis ignotum, numerum restringit. Quæ ipsa etiam tam imminuta, & tam ad pauca reducta sacramēta, de gradu ipso dignitatis deijcit: dū ipsum quidem verissimi corporis ac sanguinis Christi sacramētum, signum tantum & figuram esse asserit corporis & sanguinis Christi: baptismum autem ita eleuat, ut infantibus quidem ipsis inutilem: cæteris autem omnibus superuacaneum, nec satis tollendo funditus peccato efficacem, affirmare

re

ECCLE. CATHOLICAE. 59

re nō vereatur. Quibus sanè vtriq; de reb<sup>9</sup> dū cogito, quanquā, si in alteram partem peccandum sit, augeri potius ipsum remediōrū numerū quā vlla ex parte diminui mallē: nō modo, qđ plurib<sup>9</sup> remedijs propositis, min<sup>9</sup> dāni ex malis ipsis sentiretur, sed etiam quòd bonitatē omnino quādā naturę atque ingenij redolere videtur, mala quidem quam maximè fieri potest restringere; commoda aut ipsa humani generis quam maximè exaugere: tamen cū præterea considero, nō numero ea tantum diminui, verum etiā, quod peius est, vi, fructu, dignitate, atq; adeò efficacitate omni spoliari, equidem multo magis ad hanc tantam, eorum qui id faciunt, malevolentiam: eorum qui approbant & recipiunt, amentiam & stupiditatem cohorresco. Quis enim non miretur, (vt pro eucharistia principiò loquamur) aut verò quis patiatur, Christum quidem ipsum Dei filium, hoc quod porrigit, corp<sup>9</sup> esse suū profiteri, homuncionem autē nescio quem, signum modò esse & figurā eius corporis,

poris, temere interpretari? Deinde verò, quod baptismi sacramētum at-  
tinet, quis ferat, quæso, cū circum-  
cisio quidem Iudaica magis etiā pro-  
pmodum ad infantes quàm ad adul-  
tos pertinuerit, eademque omnes, qui  
modò ea insigniti fuissent, in nume-  
rum populi Dei retulerit: baptismum  
nostrum ita infra ipsius conditionē  
abijci, vt neque ad infantes pertineat,  
& ceteris præterea nullam insignem  
utilitatem pariat? Sed vt interim ba-  
ptismum & circumcisionē paria fa-  
ciamus, nec Dei ipsius opera inuicem  
contendamus: quāquam ille quidem  
ipse auctor vtriusque, alterum eorū  
tanquam corpus: alterum ceu corpo-  
ris modò vmbra, esse voluerit: quid?  
etiamne homines Deo æquiparabi-  
mus? vel potius, etiamne hominum  
ipsa malefacta, dei ipsi<sup>9</sup> benefactis an-  
teponemus, aut verò potentiora in  
suo genere fuisse existimabimus? Adā  
igitur modico suo fermento totam  
generis nostri massam penitus corrū-  
pet: & non multo magis Christus, co-  
piosa admodum sua redemptione,  
COR-



ECCLĒ. CATHOLICAE. 61

corruptionem hanc restituet, & reip-  
sa reparabit? Non negāt: sed quærunt,  
quidnam hæc faciant ad institutam  
de baptismo disputationem? Audiant  
igitur breuiter, si lubet: neque enim  
longum faciemus. Equidem consti-  
tuendum est: Sicut generatione ipsa,  
quæ est quasi contagio & hæreditas  
quædam paterni criminis, quod per  
Adam perpetratum, in omnes eius  
posterios est diffusum, fimus, quod  
Paulus ait, iræ filij: ita ex aduerso huic  
generationi, regenerationem quan-  
dam esse diuinitus propositā, per quā,  
veluti canalem quendam, beneficiū  
liberationis à Christo partæ ad nos  
debeat permanere, in vitam vsque,  
quam expectamus, cœlestem atque  
sempiternam. Nisi enim quis renatus  
fuerit, inquit Christus, non introibit  
in regnum Dei. Atqui conuenit inter  
nos & hæreticos, id quæ ad eò Diuus  
Paulus apertè profitetur, Christi be-  
neficiū Adæ maleficio multo esse  
largius multoque abundantius. Se-  
quitur igitur, primùm, vt, cum Adā  
infantes etiam ipsos scelere suo infe-  
cerit

cerit, multo magis Christ' eosdē quoque liberarit: deinde, vt cū Adam re ipsa maculam nobis omnibus insignē asperferit, Christus eandem multo magis re verissima in omni perfectio- nis excellētia eluerit, totāq; ita sustu- lerit, vt nos prorsus in Dei ipsius ocu- lis puros ac putos reddiderit. Qua ratione? gratuita communicatione iustitiæ innocentiaēque suæ. Quomo- do ea ad nos peruenit? Dixi. Per cana- lem regenerationis. At quæ est hæc re- generatio? Id quidem explicat Chri- stus idem, ita plenè apud Ioannem in- quiens: Nisi quis renatus fuerit ex a- qua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Potuitne baptismum melius, non dico adumbrare, sed ex- primere? Cui ipsi quantum D. Paulus tribuat, vel vno interim illo ex loco estimemus licet, cū, inquit, Omnes quicumque baptisati essent, Christū induisse. Patet igitur, quod cogere volumus, baptismum non minus in- fantibus, quàm cæteris omnibus esse propositum, hoc primum. Deinde verò patet, in omnibus quicumque ad illum

illum accesserint, maximam habere, non solum ad tollendum peccatum, sed etiam ad iustitiam Christi largissime comunicandam, efficacitatem. Contra verò (vt tandem vnde digressa est eò reuertatur oratio) patet etiam & meritum quidem Christi, quod largissime patere debuit, nimis in angustum ab ijs redigi, qui sacramentorum tum numerum diminuunt, tum eleuant dignitatem: & propterea etiam Ecclesiam istorum, qui dogma tam spurcum & immane defendunt, ac tuentur, turpissime omnino deformari, ac prorsus infra omnem Synagogæ Iudæorum conditionem relinqui.

*14. Sacrificium hereticorum nullum.*

**S**ed hoc ferè leuius: quanquã in his eiusmodi nihil planè leue esse potest. Quid aut addit præterea hereticorum ista synagoga? Quid? sacerdotis sanè & sacrificij ipsa etiã vocabula, tantum non exterminat. Etsi .n. appellationib. illis ludit interdum magis quã reuera

reuera utitur, tamen ad summum ita  
 statuit, nec sacerdotem vsquam am-  
 plius, nec sacrificium vllum esse: à  
 suis quidē certè conuenticulis & coi-  
 tionibus nefarijs vtrumque abesse, &  
 nomen pariter cum re amisisse: no-  
 strum autem tremendum illud, &  
 modis omnibus adorandum sacrifi-  
 cium, atque hostiam immacula-  
 tam corporis & sanguinis I E S V  
 Christi, non modò talem non esse,  
 qualis vno omnium vetustorum pa-  
 trum & conciliorum consensu præ-  
 dicatur: sed etiā, quod nulla ferè vn-  
 quam impietas euomere antehac au-  
 sa fuit, rem esse, proh scelus, rerum  
 omnium profanissimarum profanis-  
 simam, ipsique Deo Opt. & Max.  
 (Audisne hæc Christe fili Dei viui ad  
 dexteram patris in cœlestibus collo-  
 cate) detestabilem & inuisam. Quam  
 ad eorum vocem sanè execrandam,  
 & omnibus supplicijs dignissimam,  
 terra mihi ipsa tremere: flumina etiā  
 ad fontes relabi: sydera denique ipsa  
 auerso vultu retro cōmeare, & aper-  
 tissima significatione tantum scelus  
 palam

ECCLĒ. CATHOLICAE. 65

palàm detestari videntur. Cuius tamen ipsius sceleris illam denique pœnam præsentem, & in ipso illo simul scelere delitescentem, necessariò Synagogistæ isti sustinent, quòd, dum vanitatem hanc orationis impiæ de industria in vulgus spargere non dubitant, illam etiam manifestam admodum veritatem eodem tempore, nolentes profiteri coguntur, suas illas non minus perditas quàm perdentes Synagogas ac coitiones, quæ & sacerdote carent & sacrificio, Ecclesiam neque esse posse vlla ratione, neque appellari. Ecquis igitur earum Synagogarum consortium appetat, quæ & vltro quidem tam apertè Ecclesię nomen à se abdicant, & præterea, quod illa vna, sancta, catholica, & apostolica Ecclesia, sanctissimum hætenus duxit, omnique veneratione coluit, quod patres nostri, iam inde post susceptam semel religionem Christianam, supplices & proni adorauerunt, cui cercos incenderunt, cui thus adoleuerunt, quod omnibus denique diuinis honoribus sunt profecuti, id  
E idolum,

idolum, id abominationem, id detestabile & execrandum vocent. Eheu prisca fides.

Sed nos pergamus ad alia, & quidē ad Biblia imprimis, & reliquas scripturas sanctas, ex quo sanē aliqd prætereā, & ad cōtinēdos nos ipsos in gremio Ecclesię & ad alios p̄ Dei gratiā à Synagogis istis reuocādos desumem⁹.

*15. Biblia Catholica LXX.*

*interpretum.*

**A** Ecclesia quidem Catholica uti semel accepit de manibus apostolorū BIBLIA, à LXX. ipsis interpretibus ex Hebræo conuersa in Græcum (hac ipsa enim bibliorū cōuersione ipsos quoq; apostolos vfos fuisse, non difficulter ostendi potest ex ijs, quæ in nouo testamento citātur per apostolos ex veteri desumpta) ita hac eorum translatione perpetuò vtitur: & vt illa sunt vno modo atque ratione ab omnibus illis LXX. interpretibus conuersa, ita Ecclesia quoque vnam ijs atque eandem sentētiā attribuit, haustā ex vnanimi

mi

ECCLIE. CATHOLICAE. 67

mi omnium Catholicorum theologorum  
consensione: quæ quidem omnia ita re-  
ligiose & suscipit & veneratur, vt ijs  
neq; detrahendum quicquam, neq; adeo ad-  
miscendum esse existimet, in ijs quæ atti-  
nēt summa capita religionis Christia-  
næ. Quod quidem dum facit, facile omnium  
suorum & consensionem in religionis  
dogmatibus hactenus retinuit, & be-  
neuolentiam atq; charitatem in Repub.  
mutuam conseruauit: quæ utraq; discer-  
puit ij, qui nec libros bibliorum sanctorum  
omnes recipiunt, nec eorum quos recipi-  
unt, sensum satis callent, neq; adeo in  
suo ipsorum sensu, peruerso quidem  
ipso, &, vt leuissimè dicam, alieno,  
aut sibi satis constant, aut consensum  
Ecclesie vlla in parte reuerentur.

*16. Biblia ab hæreticis peruer-  
sa, truncata, inferta, & ma-  
lè conciliata.*



Rimum enim, breuissimo isto  
temporis spacio, dum suo quisq;  
sensu abundare contendunt, pro

E 2 vna

vna Lxx. virorum traductione, ipsi, plusquam septuaginta traductiones Bibliorum nobis pepererunt. Tum autem, Censorum & Aristarchorum nescio quorum assumpta persona, ex vna quidem parte, non omnia, vt dixi, bibliorum scripta receperunt, sed ea partim libris ipsis integris, partim certis librorum capitibus, pro sua libidine, mutilârunt: ex altera autem parte, ad ea quæ receperunt, multa de suo, tum in inscriptionibus capitum, tum in oris & marginibus librorum, addiderunt. Postremò, omnia hæc, quæ in rot informes formas peruerterunt, truncauerunt, inferferunt, ad priuatos potius & falsos ac suspectos, quàm ad veros ipsos ac legitimos sensus traducere studuerunt: ita in vniuersum, cœlum terræ permiscentes, vt omnia tanquam ebrijs sursum ac deorsum agi atque ferri videantur. Quibus sanè ex rebus omnibus factū est, vt literę ipsę sanctę, quę per se aliqui sententiam pietati inprimis consentaneam, ceu diuinum quendam odorem continent, si modo rectè, &

cum



ECCLĒ. CATHOLICAE. 69

cum ea, qua par est, animi demissione tractentur, superbis eiusmodi & adulterinis eorum interpretationibus deprauatæ, subito natiuū illum suauissimum odorem amittere, & tetrū quiddam concipere videantur: non secus quàm ventus, qui vnus & idem existens, alium ex puro loco, alium ex impuro lacu odorem afferre secū solet. Atque hæc quidem omnia ex insigni quorundam hæreticorū fraude atque malitia videntur proficisci. Quid cæteri, qui in hoc quidē genere malitię peccare nō vidētur? Illi verò, si qui eiusmodi sunt, qui in media hæresi, malitia aliqua non peccent, crassa omnino ignoratione peccare videntur. Cū enim sibi pulcherrimos in scripturis progressus fecisse maxime videantur, ppter aliquot selectiores ex euangelio sententiolas mente atque cogitatione comprehensas, ita sunt & scripturarum & bibliorum prorsus rudes, vt corticem modò eorum tenere, à medulla interiore, in qua sola vis boni est, procul omninò abesse, & propterea in circuitu modò

E 3 ipso



ipso ambulare, mediū nunquā ferire posse videātur. Atq; hoc, ne cui fortē mirū videri possit, meminerit velim, quod Christus olim Saducæis ita per probrū legitur obiecisse: Erratis, inq̄t, Saducæi, scripturarū ignari. Quid ais? Saducæi scripturarum ignari? Ita est. Quomodo ignari? Vtique ignari, nō quòd verba scripturarum nō tenerēt, sed quòd, itē vti nūc heretici, vim earū penitus ignorarēt. Ergo in vniuersū, quod biblia quidē attinet, nihil tertiū apud hæreticos reperias, præter aut merā duntaxat scripturarū calumniā, aut summam earum ignorationem. Nimirum veritas, & vis omnis scripturarum sanctarum, non in literis est, aut in characteribus, quæ occidūt, sed in vi, & interpretatione spiritus: vt sicut nemo omnino hominū scire potest, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est: ita & quæ Dei sunt, nemo præter spiritum Dei cognoscere posse videatur. Quem quidē ipsum suum spiritum Deus non aliq̄ quàm soli Ecclesiæ appromiūt.

17. Hæ-

17. *Hæreticorum contra patres indignatio.*

**S**ed hæretici, ipsorum etiam Theologorum antiquorum libros, quibus ducibus, ad veram scripturarum cognitionem potuerunt peruenire, omni cura & diligentia conquisitos, student quantum possunt, partim è medio tollere, ne à Catholicis producti ipsis aduersentur: partim supprimere, vt ipsi ijs, cum cõmodum est, aduersus Catholicos abutantur: partim denique cauillari: quod quidem ipsum cum sit, aut in neganda planè eorum auctoritate, aut in adulterina quadam interpretatione confingenda, constitutum, vtrumque sanè genus hoc artificij, sedulò ab ipsis comparatur, callida quadam & veteratoria ratione. Vt enim rudi populo persuadeant, theologorum patres illos, suarum planè esse partium, auctoritatem eorum, dum licet, tueri se simulant: verùm vbi postea ad suæ & patrū ipsorū do-

ſtrinæ contentionem ventum eſt, tū  
 ibi mihi continuò aut de auctoritate  
 patrum muti fiunt, aut ipſos in ordi-  
 nem redigunt: nec ſe, præter biblia,  
 quicquam aliud recipere profiten-  
 tur. In quo tamen ipſo, ſanè à leuita-  
 te ſua non diſcedunt. Cùm enim ſe  
 initio ſolius expreſſi verbi Dei aucto-  
 ritati concedere: nec hominis vllius  
 præterea interpretationem admitte-  
 re præſeferant: ad extremum tamen,  
 vbi ſe expreſſo ipſo verbo Dei vel per-  
 celli vel deſtitui intelligunt, eò im-  
 pudentiæ delabuntur, vt Lutheri, vel  
 Caluini verbum, pro verbo, vel etiã  
 præ verbo ipſo Dei amplectantur. Ita,  
 dū Auguſt. Hieron. Ambroſ. Theo-  
 philactū, Origenem, columina illa fi-  
 dei contemnunt ac floccifaciunt, &  
 prorfus è ſcholis Chriſtianorum ex-  
 cludunt, ad ſcopulos iſtos religionis  
 miſerè adhæreſcunt, homunciones  
 ipſos planè indignos, qui ſuperiorum  
 illorum diuinorum virorum fibulã  
 ſoluant calceamentorum, ſi erudi-  
 tionem ſpectes: nam impietatis com-  
 paratione, hi quidem cum illis locū  
 habere

habere nullum queunt. Itaque illorū quidem diuinorum libri hominum viuunt haftenus, & tempore, ac vetustate ipsa, quæ alijs rebus omnib. interitum adferre solet, indies magis ac magis roborantur: horum autem æqualium nostrorum libri, cū nullum prorsus nec apertæ pietatis, nec eruditionis reconditæ genium habere videantur, cum auctoribus ferè ipsis, atque adeò sepe numero ante auctores etiam ipsos suos, moriuntur.

*18. Sanctorum patrum honos  
in Ecclesia Catholica.*

**V**erū, quando ab eo, quo minus tantopere se ament, dimoueri ipsi non possunt, legant sanè sua cum suis, sine inuidia, quoad libeat: ament etiam eadem quæ caperunt, sine riuali. Non equidem inuideo, miror magis. Nobis Ecclesia quidem ipsa, patres ex omni antiquitate selectos, quos ipsos oriens, quos occidens, quos vniuersus deni-

E s que

que terrarum orbis pro summis religionis magistris colit & veneratur, eosdem ad colendum & imitandum proponit : his auctoribus admodum idoneis, tum aduersarios suos fraudis aut erroris conuincit, tum veritatem etiam doctrinae institutorumque suorum, vbi opus est, magnopere confirmat & tuetur. Neque sanè immeritò. Quanto enim quisque propius aberat ab ortu illo religionis nostræ, cum primùm Ecclesia ipsa Christiana & orta & nata extitit, hoc & acutiùs omnia vidit, & certiùs ac fideiùs omnia tradidit, quàm isti tanto interuallo, non modò videre, sed etiam suspicari saltem potuerunt.

19. *Conciliarum auctoritas in Ecclesia Catholica.*


**A**T Q V E hæc quidem de patribus. Eadem porrò Ecclesia amplectitur etiam & proponit  
CON.

ECCLĒ. CATHOLICAE. 75

CONCILIA, hoc autem ferè est, communem patrum ipsorum vnum in locum coactorum, consensum, de rebus ad religionem pertinentibus. Cùm enim singulis seorsum tantam, quantam hoc loco obiter expressimus, auctoritatem tribuit, tum de vniuersis sanè ad concilium coactis magnificè & sentit & loquitur: semper enim illi verbo CHRISTI credidit: Vbi cumque duo vel tres, inquit ille, congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Itaque & indicere quidem pro temporum ratione concilia, & ad ea, summo interdum cum periculo, quoties componendorum religionis tumultuum necessitas exposceret, proficisci non dubitauit. Testis esse potest, ne longè abeam, vel Tridentinum hoc, nostris temporibus & indictum & celebratum, & perfectum Concilium: quod quidem cùm in vicinia hereticarum nationum habitum fuerit, tanta tamen Catholicorum Episcopo-

piscoporum, & Theologorum frequentia, ac concursu, tanta etiam sententiarum libertate celebratum est, ut cum antiquis illis concilijs certare iure possit. Nam ipsorum quidem patrum numerus qui concilio subscriperunt, ad ducentos quinquaginta quinque pertinebat: libertatem autem sententiarum eius concilij, illi demum abūde testari possunt, qui cum Catholicorum nomine ad concilium ipsum venissent, contrarias tamen ibi plerasque moribus Ecclesiæ Catholicæ positiones, & verbo & scripto liberè sunt tutati.

20. *Conciliorum odium apud hæreticos.*

 Ontrà, hæreticorum antesignani, neque hoc concilium Tridentinum, cum ad illud benignissimè publica fide inuitati essent, & cum illud in confederatorum suorum vicinia celebrari audirent, adeundum sibi esse existimauerunt: neque



ECCLĒ. CATHOLICAE. 77

neque vlla alia concilia œcumenica  
magnificienda sibi esse, fuerunt vn-  
quam arbitrati. Suis quibusdam pri-  
uatis & occultis ac clandestinis vtun-  
tur coitionibus, in quibus quidem,  
nec spaciū vllum tātis deliberationi-  
bus accōmodatū adhibent, nec legi-  
timum rogandi sententias ordinem  
retinent, nec moderatæ alicuius di-  
sputationis speciem præ se ferunt: sed  
inflati superbia, præcipites amentia,  
cū omnia confuderunt, post ali-  
quot statim dies discedunt, magis e-  
tiam tum inter se, quàm antea, diuul-  
si & distracti. Testis est omnium ea-  
rum rerum, præter cæteras prouin-  
cias, nostra Polonia: in qua quæcum-  
que conuenticula vnquàm hæretico-  
rum habita sunt, ea vt diuturna non  
fuerunt, ita edictorum suorum au-  
toritatem nullam habuerunt, sed  
qua leuitate coierant, eadem sunt cū  
decretis omnibus suis dissoluta. Quā  
rem si quis est qui aut non videat, aut  
cū videat, non ex animo detestetur,  
is, haud scio quidnam præterea in vi-  
ta aut videre, aut vitare etiam ac dete-  
stari

stari debeat. Esse enim vnū aliquem, qui suam vnus sententiam, inueteratæ ac receptæ totius orbis sententiæ, atque adeò non solū naturæ, sed Dei ipsius voci anteferat, & qui non iam cornicum oculos configere, sed orbem ipsum terrarum vniuersum impietatis pariter atque insanix condemnare audeat, seque vnum, in ipsis reliquorum omnium hominū tenebris & caligine, τὸ ὕπερ videre iactet, id verò est, quod mihi quidem omnem nō solū impietatem, sed etiam insaniam videtur superare. Quamdiu igitur dubitabimus, cum Ecclesia potius ipsa errare (fas enim mihi fit abuti intereà hoc verbo, quo ipso in eadem re abusus est Augustinus) quàm cum hæreticis benè sentire? quādo Ecclesia quidem ipsa triplici illo, bibliorum, patrum, conciliorum funiculo nititur, qui difficulter admodum rumpitur, hæresis autem vbi securè contempsit hæc omnia, nihil planè habet, quo se ad aliquem saltem modum tolerabilem iustinere posse videatur.

Digressio.

*Digressio, cur biblia, patres,  
concilia, malè tractentur  
ab hæreticis.*

**S**ed mirum profectò non est, ita ab hæreticis, tum biblia ipsa ac scripturas sanctas, tum patres & concilia tractari, vt diximus. Quod enim alioqui hominibus perditis & sceleratis est lex & tribunal iudicis, hoc hæreticis sunt scripturæ ipsæ: quod illis licitor & carnifex, hoc ijs patres & doctores: quod illis carcer, crux, furca, hoc ijs nomen & auctoritas conciliorum. Quo igitur loco iudex, lex, licitor, carcer, crux, habetur ab hominibus nefarijs, eodem ab hæreticis haberi biblia, patres, concilia, minimè est mirandum. Dic clariùs, inquis, Dicam sanè vt intelligi possit. Legibus, inquã, & iudicij nefarij homines mirificè admodũ quod scimus, sunt infensi. Quid ita? quia vitæ & actionibus eorũ vniuersis  
mira-

mirabiliter repugnat vniuersa ipsa legum & iudiciorum ratio. Itaque his, vt dixi, infensi non esse non possunt. Sed quoniam tamen sine his viui inter homines non posse animaduertunt, se verò fiducia suorum ingeniorum pœnas eorū facile euadere posse confidunt, relinquunt ea quidem, verum interim ita se cōparant, ita technis & cauillis instruunt, vt non tam leges & iudicia relicta quàm latebra modò quædam & perfugium scelerū quæsitum ab ipsis esse videatur. Et certè ad hanc eiusmodi mentem improbam, si modò, concessu alicuius, facultatem legum pro arbitrio interpretandarum adepti sint, nullo negotio legibus ipsis & iudicijs ad omnes fraudes & latrocinia abutantur. Atque eodē planè modo inter scripturas & hæreticos res habet, si quis modò velit propius intueri. Etsi enim hæreticorum & vita & doctrina tenebrosissima, lucem ac splendorem sanctarum scripturarum non odisse, & quantum in ipsa sit, extinctum non cupere non potest, aut vt minimum,  
non

ECCLĒ. CATHOLICAE. 81

non ita saltem refugere, vt quemad-  
modum olim Iudæi aduersus faciem  
Mosis radiantem, ita ipsi aduersus di-  
uinarum scripturarum splendorem  
clarissimum, non ausint oculorum  
suorum aciem attollere: tamen quo-  
niam Ecclesiam hoc isto splendore,  
quo quidem eam non solùm illustra-  
ri, sed etiam prorsus animari intelli-  
gunt, priuari posse non vident: idcir-  
co, dum tollere se posse id quod ode-  
runt desperant, fugo saltem illinere,  
& fallaciarum suarum operimentis,  
ac quodam quasi capiti inuoluere  
laborant. Hoc ipso sanè Iudæis illis  
Mosaicis immaniores, quòd Iudæi  
quidem, nullum ipsi temerè mani-  
bus suis importunis velamen radian-  
ti Mosis faciei obtenderunt, tantis-  
per potius, dum ipse caput sua sponte  
obtegeret, seque cominus aspici atq;  
audiri permetteret, fulgorem illum  
radiatorum tolerârunt: at verò hæreti-  
ci vt primùm in conspectum veni-  
unt sanctarum scripturarum, nihil  
prius habere videtur, quàm vt ipsarū  
os, calumnia, quātū maximè possunt,  
F oblinant,

oblinant, & deinde vniuersas tot cō-  
 tortarum interpretationū integumē-  
 tis obuoluant, vt non facile præ eius-  
 modi inuolucris vera ipsa scripturæ  
 effigies possit apparere: postremò ve-  
 rò velatâ ad eum modum, per sum-  
 mam ignominiam, facie scripturarū,  
 non dubitant etiam pugnosingere,  
 amarulentum illud tantum non  
 vsurpantes, Prophetiza, Propheti-  
 za, quis est qui te percussit. Itaque  
 ad hunc istum modum, scripturam  
 quidem ipsi non solū non tollunt,  
 sed etiam sæpenumero ita in os Ca-  
 tholicorum extollunt, vt in ipsius  
 comparationem, nullam aliam  
 quantumuis sacrosanctam auctori-  
 tatem admittant: verumtamen cū  
 eam ita tractent, vt ab ipsis aut aper-  
 tē colaphis cædi, aut certē non ex a-  
 nimo laudari, sed veluti iudex à no-  
 cente reo palpari duntaxat videatur,  
 mihi equidem verbo solo ab eis re-  
 tineri, re, hoc est, sententia, planē vni-  
 uersa euerti videtur. Atque hoc sanē  
 illud est, quod nouas assiduē biblio-  
 rum, vt diximus, conuersiones quæ-  
 runt,

ECCLĒ. CATHOLICAE. 83

runt, quòd de numero sanctorum librorum diminuunt, quòd inscriptiones capitum de suo apponunt, quòd denique ad librorum oras, callidis quibusdam interpretatiunculis apponendis, extremum pietati & religioni exitium moliuntur.

Progrediamur ulterius. Auerfantur flagitiosi homines leges & iudicia: sic est. Sed multo etiam magis horrent & auerfantur carnificem & lictorem. De legibus enim verè dixit, qui eas telis aranearum similes esse dixit, vt & facilè perrumpi, & non magnam alioqui vim hominibus potentibus & fraudulentis inferre queant, si sint rigore magistratus ipsius exarmatæ: at verò licia ipsa lictorum & laqueos carnificum quoniam firmitate telas aranearum superare homines scelerati intelligunt, iccirco non licia solum & laqueos, sed cannabum quoque ipsum, quod laqueis ac licijs materiam suppeditare solet, vulgari etiam prouerbio execrari dicuntur: lictorem autè & carnificem pro-

pe vt mortem ipsam perhorrescunt. Nec aliter sanè hæretici, patres ipsos Ecclesiæ Catholicæ & doctores mirum in modum & detestantur quidē, & plus etiam quàm scripturam ipsam pertimescunt. Scriptura enim cùm pro se ferè non loquatur, trahi se interdū inuitam & violari patitur: patres pro scriptura apparent, patres aduersario manus colligant, caput obnubunt, in ipsum etiam propemodum lege agunt. Quamobrem, quod vulgò quoque de carnifice & lictore vsurpatur, plus quàm ius & lex permittat, vim & potentiã illius non valere, id de ipsis quoque Catholicis doctoribus, passim audias ab hæreticis vsurpari: non plus illis fidei esse tribuendum, quàm auctoritas permittat sanctarum scripturarum.

Quòd si hæc, quæ dixi, hæreticis ita, vt dixi, formidabilia sunt, certè omnium terribilissima sunt ijs concilia: quæ furcæ cuiusdam, eorum quidem opinione, instar habent. Vt enim qui seueritatem legum aut iudiciorum minimè reformidant, nec virtutis a-

more



more à peccando absistunt, traduntur licitoribus: quod si ne horum quidem vinclis aut verberibus coercerentur, vt discant saltem formidine poenæ minus malefacere, in crucem tandem aguntur: ita qui scripturarum sanctarum præceptionibus simplicibus & apertis in officio non continerentur, quominus noua & Ecclesiæ Catholicæ inaudita dogmata in vulgus disseminent, ad doctores demum & columina illa religionis Christianæ relegantur: quod si ne sic quidem ad officium redeunt, tum postremò ad concilium tanquam in carcerem detruduntur, & ibi, nisi resipuerint, condemnantur. Atque ad eum quidem modum satis ostensum est, hæreticos nihil horum trium non magnoperè auersari non posse, scripturas quidem, vt legem & iudicem: patres, vt iustitiæ ministros: conciliū, vt mortem & supplicium extremū. Atqui ipsa etiam scriptura, si illi tantopere, vt iactant, obedire voluissent, docere eos poterat, consentientes esse Catholicis aduersarijs suis, dum



sunt in uia cum eis: ne fortè ab ipsis tradantur iudici, scripturæ: & à iudice ministris, patribus ipsis, & doctoribus: qui tandem mittant eos in horrendū ipsis conciliorum carcerem sempiternum.

*21. Concilia confirmant Catholicismum.*

*22. Concilia condemnant hæreses.*

**Q**uibus ex rebus omnibus illud denique excerptum, & ad vitandas hæreses diligenter in cætera considerandum est, solius dogmata Ecclesiæ Catholicæ, concilij, id autem est, totius terrarū orbis cōsensione confirmari: contra hereticorum placita omnia iisdem concilij, hoc est, suffragij omnium gentium & nationū Christianarū semper condemnari. Non esse autem prudentiæ, vnius hominis placitū, sententijs omnium penè nationum

num anteferre, vel id potius sequi, quod iudicio omnium condemnatum, quàm id quod suffragio omnium approbatum est. Atqui in his sanè nostri temporis hæresibus nihil eiusmodi reperias, quod non olim & sanctorum patrum, & conciliorum decretis fuerit non semel condemnatum. Legat, qui hæc volet pressius cognoscere, conciliorum sanctiones & execrationes: legat etiam patres ipsos Epiphanium, Theodoretum, Augustinum, Damascenum, & reliquos, qui nobis sui illius temporis hæresibus depingendis, nostrorum istorum temporum hæreses omnes videntur ita depinxisse, ut libri eorum, recentium, istorum hæreticorum speculum videantur tanto ante extitisse.

Supereft, ut de paucis etiam reliquis, quæ ipsa in hoc genere omit- tenda sanè non videntur, prout quicq; eorū scilicet in mentem venerit, differamus. Ac vel illud in primis, quod ad ordinem nostræ Catholicæ

Ecclesiæ, & ad confusionem quandã Synagogarum hæreticarum demonstrandam pertinebit. Sic enim facile futurum esse cõfidimus, vt cum omnium animantium solus homo fit, qui quid sit ordo, quid modus, quid decorum ipsum intelligat: omnes ij, qui numero hominum haberi volēt, ordine ipso Catholicæ Ecclesiæ delectati, libentiùs in ea permaneant, vel ad eam certè quidem concitatiùs reuertantur. Nam cæteri, qui ordine nullo capiuntur, digni meherculè sunt qui quouis aliò discedant, & pro locis ordine ipso descriptis ac definitis, deserta, quando ita volunt, & inhospita tesqua incolant, eaque ad extremum loca teneant, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Quod omen à Christianis omnibus Deus auertat quæso. Sed nos ad eum, quem proposuimus, Ecclesiæ Catholicæ ordinem paucis, vti huius loci natura fert, describendum accedamus.

23. *Conciones, Misse, horæ  
Catholicorum.*

Ecclesia

**E**cclēsia nostra quidem nihil eorum prætermittit, quæ ad sanam omnibus vndique instillandam euangelij & pietatis doctrinam facere quoquomodo videantur. Nam & concionibus ad populum, & Missis, & cantibus, & omnibus horarijs orationibus publicis, & multis alijs eiusmodi rebus, in fine etiam classis homines, quatenus opus est non sinit esse earum rerum rudes, quæ ad articulorum fidei & pietatis Christianæ cognitionem intelligit pertinere. Ita sanè vt nec conciones ipsius concionibus hæreticorum, nec cantus cantibus, nec orationes orationibus, vlla in parte vel sanctitatis vel eruditionis concedant: imo vt hæc etiam omnia in Ecclesia quàm in hæreticorum Synagogis & sanctiora & eruditiora, & omni perfectionis genere absolutiora manifestò appareant. In quo tamen ipso Ecclesia illam mercuriale moderationem in hoc genere per necessariam retinet, vt scientiã quidem & intelligentiam rerum ipsarum abstrusiorum perfectam & absolutam

F 5                      solutam

solutam doctis & intelligentibus referuet, sanctitatem verò ipsam, quæ est vfuscorum omnium maximè præcipuus, populo vniuerso concedat atq; communicet: quam etiam ipsam sanctitatem illa re potius æstimandam esse censet, quantum quisque nostrū ea quæ illa suggerente percipit, aut animo credat, aut factis exprimat, quā quantum scilicet ingenij acumine comprehendat. Non tam enim in intelligendo quàm in audiendo & custodiendo Dei verbo, meminit esse à Christo domino felicitatem & beatitudinem hominum, id autē est, summum animorum nostrorum bonū, constitutum.

24. *Cerimonia & festa  
Catholicorum.*

**P**Rætereà autem eadem hæc Ecclesia nostra postquā à concionibus, Missis, horis deniq; orationum suarū respirauit, non remanet tamen prorsus muta, & omni ex parte iners ac ignaua: sed machinas  
veluti

ECCLĒ. CATHOLICAE. 91

veluti quasdā alias ad omnes etiā sensus adhibet, quib⁹ in animos suorū fidelium id quod vult, hoc autē est, pietatem & religionem, possit cōmodissimè instillare. Admouet enim ad oculos primū ornatū illum templorum externum, qui est in cereis potissimum & imaginibus: vt illi maiestatem quandam numinis præsentis significent, hæ autem ponant sub aspectum, quantū maximè possunt, ea ferè omnia, de quibus alioqui pro cōcione fusè admodum solet disputari: quæ vtraq; etiam interdum, animaduersionis scilicet & castigationis cuiusdam causa, ab oculis subtrahit, cereos quidem in feriendis anathemate immorigeris filijs, extinguendo: imagines verò diebus ipsis quadragesimalibus pœnitentiæ sanctioris velando ac obtegendo. Admouet item ad aures, campanas & tintinnabula, dum vel ad templum suos vocat, vel etiam extra templum orationis admonet. Quorum etiam ipsorum sonitum, partim diebus ipsis parasceues commutat, & designandum siue factos

fœdos tūc temporis & pudendos apo-  
 stolorum lapsus, siue ad eò dolorem  
 ipsum suum, ex passione vnigeniti fi-  
 lij Dei sponsi sui, cuius tunc anniuer-  
 saria memoria recolitur: partim ve-  
 rò prorsus intermittit, vt cum in ipso  
 fortè publico aliquo facinore cōmis-  
 so ac perpetrato, maiore sibi interdi-  
 cto vtendum esse existimat. Deinde  
 celebrioribus etiam diebus ipsis ad-  
 mouet ad aures musica quædam in-  
 strumenta, ad excitandum gaudium  
 spiritus in mentibus nostris, & laudes  
 Dei, maiore aliquanto cum lætitia  
 decantandas. Adhibet odores etiam  
 naribus, vt & maiestatem diuini nu-  
 minis repræsentet, & feruorem præ-  
 terea maiorem quendam orationis  
 exuscitet: vt videlicet oratio populi  
 (his enim quoque tunc verbis Eccle-  
 sia ipsa vtitur) non secus quàm ea  
 quæ odorum causa incenduntur, in  
 conspectum Domini dirigatur. Ad-  
 hibet ad tactum plura etiã ferè quàm  
 ad vllum sensum alium: aquæ nimi-  
 rum & cineris asperisionem, crucis  
 impressionem, genuum flexionem,  
 pectoris




ECCLĒ. CATHOLICAE. 93

pectoris percussione, osculum denique reliquiarum sanctarum: quæ omnia, vel monumenta, vel certè inuitamenta esse vult pœnitentiæ interioris. Postremò, gustatus etiã ipsius nostri non prætermittit habere rationem: primùm quidem dum cum cupidij alijs plus satis vel obrutum, vel irritatum, indictis ieiunijs, tum recreat, tum cohibet, & quantum potest ad moderationem reuocat: deinde autem cum diebus certis solennibus, & panem populo, & vinum, & salem, & fructus terræ, & cætera quæ ad esum, aliumque præterea familiarem vsum nostrum pertinent, benedicta, & verbis solennibus sacrata proponit: & denique, dum ipsum Iesu Christi corpus & sanguinem, sub panis & vini forma ac figura cōsecratum, vescendum fidelibus distribuit. Vt ita nimirum & audiamus, & olfaciamus, & manibus quasi contrectemus assidue vim benignitatis diuinæ: gustemus etiam & videamus quàm suavis sit dominus, & quàm beatus vir sit qui sperat in eo. lam verò cetera ipsa Eccle-  
sia

fiæ solennium dierum tanquàm in fastos quosdam distributio, quid aliud est, quàm simplex illa & aperta hominum simplicium, ab Ecclesia quidem summo concilio inuenta, & magna cum pietate vsurpata institutio, in rebus ad salutem pertinentibus? Nam dum & conceptionem, & natiuitatem, & circumcisionem, & magis adorationem, & quadraginta dierum post baptismum ieiunium, & passionem, resurrectionem, in cœlos ascensionem C H R I S T I domini, spiritus denique eius sancti missionem celebramus, quid aliud quàm beneficia eius in salutem nostram impensa recolimus? Quid martyrum, quid Apostolorum, quid Euangelistarum, quid confessorum, quid virginum, quid aliorum, in certos dies anni, conceptæ feriæ aliud sunt, quàm & fidei nostræ adiuuenta & ad gratiarum actiones incitamenta, & exempla ad vitam Christianè instituendam proposita?

25. *Cerimonia hereticorum nulla.*

 Tque his quidem rebus in omnibus mutæ sunt prorsus hæreticorum Synagogæ. Nam cerimonijs omnibus, quæ in sensus, vtiliter & cum magna pietatis accessione & incremento, possent incurrere, ita carent omnino, itaque eas respuunt, vt ad conuenticula ipsa sua, præter auditum, cuius etiam sensus ipsius tenuis est admodum efficacitas, nihil adferre videantur. Quasi verò Deus ipse, præter hunc auditus sensum, vel nullos alios, vel certè frustra fuerit fabricatus: aut quasi etiam hoc sensu tantum, & non potius omnibus animi viribus, coli se voluerit & amari: aut verò denique quasi his in terris, vel hac potius in infinitate vulgarium ac popularium hominum, cum solis viuatur perfectis, pleneque sapientibus, qui spiritu tantum & non sensibus etiam corporeis ducantur ac regantur, & nõ potius multi

multi nostrum sint, qui in hauriendis caelestibus mysterijs, lacte magis quam solido cibo opus habeant, vel etiam si forte nonnulli sint, qui solidum cibum non reformident, neque respuant, ideò ceteri, quorum semper maior lōgè est numerus, imbecilliores, planè sint contemnendi, & pro nihilo habendi. Sic isti spiritu nescio quo afflati homines, cerimonias omnes corpori ad pietatem erudiendo summopere necessarias, ex Ecclesia iubent faceffere, & templa ipsa sua, nō secus quam porcorū haras, sine ornatu, sine ordine, sine decore omni relinquunt. Cuius quidem decoris David rex & propheta, vir scilicet nō tā quam isti, in actionibus spiritus exercitatus, studiosissimum se fuisse profitetur, inquit: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Quo minus etiam miror annis paulo superioribus cuidam æqualium meorum vsu euenisse: qui, cum antea iam in illo hæreticorum luto non leuiter hæsisse videretur, hoc sibi ferè principium explicandi

candi

candi sese, & ad veram antiquæ religionis viam reuertendi, fuisse scribit, quòd templa Catholica adire, ceremonijsque Catholicorum sensim ac paulatim, quamuis non satis etiam tum ex animo communicare incepisset.

*26. Conciones, cantiones,  
feriæ hæreticorum.*

**V**erùm hæreticis omnia leuia & ludicra videntur: illa graua & seria: templa profanare, eaque omnibus ornamentis ita despoliare, vt aras aras faciant, & ex templis ipsis reddant stabula alta ferarum. Quid autem relinquunt, cum suo illo ornatu & ordine templa spoliarunt? nihil præter ieiunas quasdam, vel, quoniam ipsum quoque ieiunium nõ ferunt, pingues potius, & frustis interdum esculentis plenas conciones, cõsutas ex ineptijs, calumnijs, conuicijs: breuiter, Philippicas potius quàm homilias: plæraq; enim ex Philippi Postillis hausta sunt, gustum do-

G

ctrinæ

ſtrinæ alicuius elegantioris, guſtum  
 pietatis, guſtum etiam comitatis &  
 humanitatis nullum habent. Quid  
 aliud relinquunt? etiam ſemifomnes  
 ſcilicet quaſdam cantiunculas, ab ho-  
 minibus furore de vino correptis  
 compoſitas, & à ſomnolentis ac oſci-  
 tantibus aniculis, non ſecus quàm ad  
 fuſum & linum decantatas. Quid  
 præterea? etiam feſta illa ſua in ca-  
 lendarijs propoſita, Moſaica magis  
 quàm Chriſtiana. Pro Chriſti e-  
 nim Dei noſtri ferijs, feſta Iudaica  
 reponunt, & in eo umbram potius  
 Synagogæ conſectari, quàm lucem  
 Euangelij repræſentare malunt, tum  
 etiam pro antiquis nobiliſſimo-  
 rum martyrum nominibus, ſuo-  
 rum nobis, neſcio quorū nouorum  
 martyrum omnia proponunt: quo-  
 rum alius falſi conuictus eſt, alius  
 damnatus eſt furti, alius homici-  
 dij, alius impietatis & blaſphemix,  
 alius ſeditionis, omnibus autem,  
 vt hæreticis, vita publico iudicio  
 eſt erepta. Quorum quidem ex-  
 empla ſi cæteris ad vitandum pro-  
 poni

poni in Synagogis eorum poterant, ad commemorandum certe proponi in Ecclesia Catholica non debebant. Ea enim eiusmodi, destruunt magis quàm extruunt, aut ædificant.

*27. Hæretici nusquam inter  
ethnicos plantant fidem:  
quod faciunt Ca-  
tholici.*

**D**estruunt, inquam. Pror-  
sus ut alia hæreticorum om-  
nia: quorum illud semper  
iam inde ab initio solenne fuit, ut  
nusquam boni quicquam nec plan-  
tarent, nec ædificarent, nec ex-  
truerent, sed ibi etiam, vbi for-  
tè quid eiusmodi plantatum iam,  
& extructum ac ædificatum fue-  
rat, euellerent, & deijcerent, & de-  
molirentur. Nam ut interim ho-  
nestarum ferè omnium artium  
interitum omittamus, quas vbi  
possunt, maximo studio demoliun-  
tur,

tur, nonnūquam sanè eò pedem mouent, vbi idola eijciant, & ad Christū barbaras gentes conuertant, quod nostri etiamnum in extremis Indijs, maximo cum & religionis Catholicę incremento, & illorum fructu hominum faciunt: sed ibi demum pedem figunt, vbi Christum modò ex cordibus fidelium exterminant, & Mahometo suo viam sternant. Quo quidē in foedo & flagitioso admodum stadio, tātos proh dolor progressus iam fecerunt, vt plerisque eorum (sicut quidam nostras ante annos aliquot disputando euincere conabatur) nihil aliud ad Mahometiscum obstare, præter præputium: nihil etiam deesse, præter Sariacenicum illud capitulum inuolucrum, videatur. Ita sunt corpore quidem & habitu solo externo Christiani, animo autē toto plane Mahometani iam facti. Atque haud scio, an corpus etiam ipsum & corporis habitum, obstricto tantopere & religato animo impię superstitionis genere, non nimis diu ad Christianorum similitudinem possint retinere.



ECCLĒ. CATHOLICAE. 101  
tinere. Quam quidem cassam prope-  
modum iam & inanem similitudi-  
nem, vbi modo deposuerint, nihil e-  
rit equidem amplius, quod in illis  
Christianum potius quàm Mahome-  
tanum & Antichristianum censeri  
posse videatur.

28. *Catholici reformant, here-  
tici impediunt eorum re-  
formationem.*

**N** Ec verò ipsi id obscure iam fe-  
runt, non solum doctrina  
tradenda Christo contraria,  
sed etiam impedienda morum Chri-  
stianorum restauratione ipsa. Etenim  
sicubi fortè nostri Catholici defor-  
matis priscae religionis mores pristi-  
no nitore restituere conentur, non  
modò eos non adiuuāt, verum etiam  
hoc solo nomine extremo odio pro-  
sequuntur, & actiones eorum tum  
impediunt, vt tanto difficilius ad id  
quod volunt perueniant, tum etiam,  
quantum maximè possunt, infectas  
reddunt: facilioresque se omnino a-  
postatis,

apostatis, & desertoribus, & seditio-  
sis & rebellibus, & in vniuersum om-  
nibus sceleratis hominibus, quàm pijs  
& orthodoxis viris patronos student  
exhibere. Nimirum nec doctri-  
nam à sua doctrina discrepantem  
ferre possunt, nec vitam vitæ suæ ad-  
uersam atque contrariam. Quo-  
rum mihi mores in illa impiorum  
cogitatione expressi esse videntur,  
quæ est in libro sapientiæ ita adum-  
brata. Dixerunt impij, inquit, Cir-  
cumueniamus iustum, quoniam  
iniucundus & acerbus est nobis, i-  
demque contrarius operibus nostris,  
improperat nobis peccata legis, &  
diuulgat in nos peccata disciplinæ  
nostræ. Grauis est nobis etiam ad  
videndum, quoniam dissimilis est  
nostræ vita illius, & diuersæ sunt à  
nostris viæ eius. Hæc & similia di-  
xerunt impij, excæcauit enim eos ma-  
litia eorum. Atque hæc duo sanè  
proxima, inter cætera etiam confide-  
randa sunt, ad absterrendos homines  
ab istorum vesania, & ad reducendos  
ad Ecclesiæ Catholicæ sanitatem.

29. *Successus hæreticorum.*

**H**is etiam, si placet, vnum ad-  
damus licet. Successum vi-  
delicet rerum omnium tam  
apud nostros, quàm apud hæreticos  
Etsi enim veritas & fides religio-  
nis non est principio à successibus  
aut prosperis, aut aduersis, deducen-  
da, & Catholicæ quidem religionis  
ratio, suis est & certissimis firmamen-  
tis aliàs comprobata, iuuat tamen ad  
illorum firmamentorum solidita-  
tem, hæc ista successuum in vtram-  
que partem commemoratio, quibus  
Deus Opt. & immortalis, hinc veri-  
tatem suarum cerimoniarum diui-  
nitas nobis iam pridem traditarum,  
est profecutus, illinc impietatem nu-  
per inuentarum opinionum studio-  
sissimè se auersari semper demon-  
strauit. Repetamus igitur omnes ab  
initio hæreses, & consideremus, quæ  
terrarum eluiones, quæ exustio-  
nes, quæ pestilentia, quæ vermium &  
bestiarum copia: quæ annonæ caritates,

G 4 . . . quæ

quæ seditioes, quæ bella, quæ clades, singulas propemodum hæreses aut præcesserint, aut statim fuerint consequutæ. En vnquam quæso, cum vlla hæresi vsquam, pacem, ocium, fertilitatem, concordiam, rerum etiam affluentiam aut natam aut consoctatam fuisse, siue vidimus, siue audiimus? Num quæ Respub. num quod regnum, num quæ ciuitas, num quæ domus, num quæ familia, num quis omnino hominum, propter hæresim, aut auctus veris honoribus, aut alijs verè secundis rebus nobilitatus est? Omnia, omnia videntur cum hæresi in peius ruere, & retrò sublapsa referri. Quin & hæreses ipsæ suis sibi semper manibus celerem admodum struunt interitum, vt sicut veritas ipsa à tempore, tanquam legitima filia educatur, ita fictæ ac falsæ opiniones ab eodem tempore, tanquã monstrosi partus, interdum etiam in ipso ortu, enecentur. Illi autem quoque ipsi hæresum auctores & propagatores illam perpetuam, pro his eiusmodi suis meritis, diuinitus arrogatam

tam

tam pœnam sustinent, vt semper bellum appetant, nunquam victoria potiantur, semper seditiones moueant, quarum tamen incommoda omnia in ipsorum potissimum capita recidant: semper tumultus excitent, & in illis tamen semper cum corpore, tumulto etiam magis animo disperant: vt ita nec viuis illis, nec mortuis, benè esse possit, sed vt viui & mortui omnibus pariter & diuinis maentur supplicijs & humanis.

30. *Successus Catholicorum.*

**C**ontra autem omnia prope modum quæ optabilia in vita esse videntur, ocium, dignitas, opes, robur, splendor, firmitas, pax, copiæ, fertilitas, nobilitas, decus, & quæ sunt huiusmodi, dotes sunt profectò religionis Catholicæ propriæ. Nam vt omittam cætera, maiores quidem nostri, post Lachi parentis ingressum in has terras, tunc desertas & vacuas, etsi magna semper bellicæ virtutis suæ documenta dare studuerunt,

G

s

duerunt,

duerunt, in illis tamen barbaræ religionis tenebris, finitimorum semper iniurijs expositi, neque noti, neque tuti, annos ferè quadringentos delituerunt. At verò vbi semel Christum Iesum, sic quidem vt olim in vniuerso terrarum orbe, Catholicè, & verè, & concorditer, vno omniū ore prædicabatur, non vti nunc in Synagogis hæreticorum, & falsò, & clàm, & variè prædicari est cæptus, sub Mescislai principatu susceperunt: cæperunt de repente ita coalescere, vt vicinis primum formidolosi, mox remotioribus admirabiles, postremò apud omnes clari ac celebres sint facti: & vt gloriam etiam reliquarum nationum, siue domesticis in rebus quis spectet, siue in bellicis, non solùm adæquârint, verumetiam in plærisque fortassis superârint. Tunc enim regium in primis diademanon à nescio quibus ministris istis, siue petiti, siue ad eò impetratum est, (quorum tunc ne nomen quidem audiebatur vsquam, & quorum ipsorum nunc quoque magna  
pars

pars ipsum etiam regium nomen de-  
 restantur, vniuersi autem vnctio-  
 nem non solum à regni inauguratío-  
 ne remouent, verum etiam à baptis-  
 mo ipso studiosè tollunt: ) sed à Ca-  
 tholico Rom. summo Pontifice pe-  
 ritum, à Catholico Rom. summo  
 Imperatore tributum nobis est. Tunc  
 celebres illæ nostræ de multis natio-  
 nibus victoriæ sunt partæ, cum Boë-  
 mia, Morauia, Russia, Saxonia,  
 Prussia, Dania, armis prorsus no-  
 stris cesserunt. Tum clarissima  
 illa trophæa & monumenta, ac ter-  
 mini victoriarum nostrarum, co-  
 lumnæ ferreæ, ad Herculis illius in-  
 uicti imitationem, ad Boristenem,  
 & salam, & Ossam fluuios fixæ à no-  
 stris, ac locatæ sunt. Inde vrbes  
 conditæ, arces munitæ, mænia  
 excitata, Episcopatus fundati, tem-  
 pla & monasteria erecta, Scholæ  
 etiam sunt institutæ, seminaria vi-  
 delicet aliarum porrò urbium con-  
 dendarum, artium excitandarum,  
 Episcopatum, & omnium templo-  
 rum ac monasteriorum regendorū,  
 rerumq;

rerumq; ipsarum publicarum deinceps ad longissimam item posteritatem propagandarum. Ita sanè, vt si quis res nostras diligētius consideret, illas quidem, quæ ante Catholicam susceptam religionem extiterūt, magno à nostris hominibus animo gestas, has verò quæ religionē Catholicam sunt consequutæ, diuinis & singularibus successibus auctas & cumulatatas fateatur, necesse est. Quas nunc rursus, proh dolor, nonnihil iam attritas, & accisas videmus, ministerio quidem administratorum istorū, quibus Respub. ludus est, regnum iocus, claritas nominis & existimatio tenebræ. Quos ipsos tamen ita in hac religionis contentione odisse & fugere ac auersari debemus, vt cūm ne nos ipsi quidem radicem portemus, sed radix nos, ne efferamur propterea, ne uē altum sapiamus: sed animaduersa & perpensa, in eos quidem qui ceciderunt seueritate Dei, in nos autem summa bonitate, existimemus, id quod est, potentem esse Deum iterum eodem inferere illos vnde exciderūt,  
si



ECCLĒ. CATHOLICAE. 109

si modò non permanferint in incredulitate. Quid enim? an nò duodecim horæ diei sunt? Itaque tum pro ijs, tū pro nobis, & omninò pro vniuerfa ipfa Ecclefia, fic oremus:


Si vlla, ô Domine, Ecclefia tuæ teneris charitate, ficut profectò summa teneri te, & cū nulla adhuc effet Ecclefia eam fabricando, & cum amiffa, reftaurando, & cum iactata, conseruando declarafti, à te supplices petimus, vt quæ fe nunc fuis ipfa diffidijs cōficit, diuino tuo munere ad pacem & concordiam reuocata, poffit refpirare. Per Dominum noftrum Iefum Christum filium tuum. Valeat apud te, clementiffime pater, illa pro nobis moribundi nati tui, fub ipfam ftatim panis & vini ab ipfo fecundum ordinem Melchifedechi, repræfentatam oblationem, facta deprecatio: Pater fancte, ferua eos in nomine tuo, quos dedifti mihi, vt fint vnum ficut & nos. Vt hac noftra aliquando in hunc terrarum orbem reducta vnitare, fimul & nos recentibus his malis liberet, & sermonis filij tui domini noftri  
Iefu

110 PARALLELA

Iesu Christi confirmes veritatē, de ea  
qua tecum in spiritu sancto viuit &  
regnat Deus, vnitare. Exaudi nos quæ-  
sumus omnipotens æterne pater do-  
mini nostri Iesu Christi, & noster, pro  
vnitate dissidentis Ecclesiæ tuę humi-  
liter supplicantes, & cœlestibus tuis  
sacramentis hoc nomine participan-  
tes. Exaudi nos in nomine eius qui  
dixit: Quicquid petieritis patrē  
in nomine meo, dabit vobis.


Qui & ipse tecum viuit &  
regnat in vnitare spiri-  
tus sancti Deus, per  
omnia sæcula sæ-  
culorum, A-  
men.

FINIS.









37 1  
Fh9

(X2200175)

56.





PA  
NID  
DIA

PAR  
clesia  
ti

Causæ, q  
ftris ter  
rum  
cl

C  
Apud

M  
Cum gra



Farbkarte #13

